




GALENI
DE
TEMPERAMENT
1549






39.

Payne 12/7/11



Friderici Sebizy Nisseni.

HIEREMIAE THRIVERI BRACHELII NOVI ET INTEGRI COMMENTARII

in omnes Galeni libros de Temperamentis.

*



Lugduni, apud Godefridum & Marcellum Beringos, fratres,

M. D. XLVII.

Aº 1572. Mense Maio.



REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC D. D.

Nicolao Spirano, Abbati Grunbergensi religiosissimo, Hieremias Thriuerus Brachelius salutem.



EXACTI sunt anni plus minus duodecim, reuerende in Christo Pater, cum Galenum de Temperamentis in gratiam studiosorum rei medicæ publicè profiterer. Frequentes quidē, ac non indiligentes habebam auditores: qui discēdi auidissimi, quæcunq; à nobis affatim in enarrādo effundebantur, calamo, ne quid memoriā præteriret, raptim singuli excipiebant. Verum tamen inter hos fuerūt nonnulli plus nimio mei studiosi: qui opere absoluto, ex diuersis schedis simul collatis Commentarios consuerunt, meoq́; nomine inscriptos Typographo cuidam Antuerpiensi, me inscio, excudendos tradiderunt. Hic sanè plus priuati commodi, quàm publicæ utilitatis cupidus, perplexos illos, & imperfectos, ac incompositos, maleq́; consutos statim prelo commisit: excusosq́; diuersis locis distraxit. Quod quidem quàm ægrè tulerim, uix uerbis consequi possim. Quid facerem? silendam mussandamq́; hanc iniuriam duxi, atq; nothæ illius editionis euen-

tum expectandum. Paucis autem præterlapsis mensibus, literis hinc inde ab eruditis uiris missis, cognoui quosdam illorum Commentarios illos uerè quidem meos fuisse putasse, sed Typographi negligentia uitiatos atque deprauatos: nonnullis autem (ut qui naso erant sagaciori) statim suboluisse, omnino suppositítios, minimeq; domi nostræ natos fuisse. Hi frequentioribus interea literis, ac precibus, ne dicam conuitijs, usque efflagitare non cessauerũt, ut genuinos integrosq; in lucem emitterem. Quibus ut tandem morem gererem, nõ inconsultum uisum fuit, adulterinum illum fœtum domum recipere, ac quod ursi solent, sæpius lambendo omnino reformare. Totos demũ hos Commẽtarios immutatos, multisq; modis auctiores, ac mendis omnibus repurgatos, quàm castigatissimè in publicum euulgandos Beringorum fratrum fidei commisimus. Tibi uerò, reuerendissime Pater, eos potissimum dicatos uoluimus, ut qui præter alia literarum genera, Philosophiæ ac præsertim Medicinæ studia non solum reuerenter colis, sed etiam plenissimè exactissimeq; tenes. Precor ergo ut in pulcherrima tua bibliotheca, quã in dies magis ac magis exornas, his saltem infimum locũ concedas, nostrisq; studijs etiam atq; etiã patrocineris, ac lõgo tempore nobis ualeas. Louanij III. Nonas Ianuar. anno à Christo nato M. D. XLVII.

HIEREMIAE THRIVERI BRACHELII COMMENTARII IN LIBRVM PRIMVM GALENI DE TEMPERAMENTIS.

*



ONSTARE animalium corpora ex calidi, frigidi, ſicci, humidiq; temperatura, nec eſſe horum omnium parem in temperatura portionem, demõſtratum antiquis abunde eſt, tum philoſophorum, tum medicorum præcipuis. Diximus autem & nos de ijs, ea quæ probabilia ſunt uiſa, alio opere: in quo de ijs, quę Hippocrates conſtituit, elemẽtis egimus.

ELEMENTVM *minima uniuſcuiuſq; rei compoſitæ pars eſt. Et præſtiterit fortaßis non quidem minimam, ſed ſimplicißimam rei portionem elementum dicere. Etenim minima cuiuſuis corporis particula ex ijs componitur, atq; in hæc demum diſtinguitur. Non confunduntur autem duntaxat in miſtis, ſed & in uni*

uerso singula scorsum conspiciuntur, extrema quidem aliqua ex natura, sed diuersa qualitate dotata: ignis caliditate, aër humiditate, aqua frigiditate, terra siccitate. Igitur quatuor quidem ea fieri oportuit. Nam unum sua irrepræhensibili qualitate omnia uertißet in perniciẽ. Id uerò cõiunctis uiribus magis potuißent duo, fortaßis ignis & aër. Nec melius conuenißent ignis & aqua: quippe horum maior est controuersia, quàm quæ diu potuißent perdurare. Tertium ergo quasi sequestrum aërem natura interiecit, cuius humiditas aquæ, caliditas igni grata eßet & affinis. At iam periclitabatur aquæ genuinæ frigiditas, duobus elemẽtis calidis comparata. Itaq; quarto loco terram adiecit, nõ (quod rudis aliquis putet) ut hominibus tantùm sedes eßet: sed præterea ut reliquorũ duorum caliditatem cũ aqua sua frigiditate temperaret, atq; eorũdem uim in ijs inferioribus coërceret. Simili ratione ignis cœlo subijcitur, tametsi sensu nõ depræhenditur, ut nunc è contrario ipse cum aëre reliquorum duorum frigiditatem extenuaret. Prudenter ergo natura non unum, non duo, non tria, nõ quinq;, sed quatuor elementa dißociata locis, discordi pace ligauit. Eadem prouidẽtia usa est, dum terram deorsum, ignem sursum tulit, aquam & aërem in medio suspendit: quippe aquæ maior cõtrarietas, quàm quæ igni coniungi poterat. Ob eandem causam neq;

terram

terram aëri commisit, sed aquam inter utrunq; discreuit. Etenim locorũ interualla iuxta qualitatũ discrimina distrahi oportuit. At de qualitatibus ipsorum alibi in quodam seorsim illis dicato opere diximus. Nunc enim eas tanquam demõstratas recipere est necessum, quarum per mistione temperamenta eueniunt. Quòd autem unumquodq; elementum singulorum mistorum generatio requirat, iandudum Aristoteles dixit, & reliqui ab eo acceperunt. Tenues tamen illius rationes, & quas morosus facilè contemnet. Tales etiam sunt quas Physici adijciunt. Nam ratio, quæ ex siti & fame sumitur, duo potius quàm quatuor elementa in animali supputat. Vrget magis Galeni ratio, quæ unumquodq; ex elementis quatuor generat, quòd nullum cõcretorum simpliciter aut in summo qualitatem obtinet. Proinde nec syncerum, sed calidum frigido, humidum sicco in ipsis mistum cõtemplari oportet: atq; hæc ratio generalis est. Specialis uerò est, quæ sumitur ex differẽtia partium. Nam pro diuersitate munerum suorum aliæ calidæ, aliæ frigidæ, aliæ humidæ, aliæ siccæ: & rursum propius aliæ frigidæ & siccæ, aliæ à dominio calidæ & siccæ. Sic inter humores alium simpliciter reperies calidum & humidũ, alium humidum & frigidum. nec ad hæc minus quatuor elementis opus fuit. Nam ex permistione aquæ & ignis, nunquam aliquid reddes

calidum & humidum, aut rursum frigidum & siccum: sed illic opus est accessione aëris, hic uerò terræ. Hoc *exemplo & alibi reliquorum elementorum conditionem in corpore supputa.* Ergo *sacræ literæ, quæ hominem ex limo terræ formant, non omnia principia, sed duntaxat duo superabundantia elementa, aquam, & terram numerant.* Simile *fortaßis, sed non omnino, & in hoc mysterium est, quòd* Biblium *uolatilia ex aquis, reptilia terræ ex terra formet.* Iam *neq; terra & aqua simpliciter in homine uincunt, sed substantia tantùm: atq; id merito uidetur admirabile, quòd aliorum uincat substantia, aliorum qualitas, donec ex* Physicis *audiuerimus, quòd caliditatis inter reliqua sit maxima energia: quo fit ut parua ignis portiuncula maximam terræ molem adæquet, subinde etiam uincat.* Est *autem & siccitatis quàm humiditatis energia potentior.* Sed *in corpore humano ferè ab humiditate uincitur, quia iniquis portionibus temperatur.* Et *licet plus terræ, quàm aquæ corpus nostrum habeat, aër in eodem multo plus quàm ignis exuperat.* Iam *si simpliciter loquamur de humido, corpora nostra concreta sicca sunt, licet principia prius humida.* Oportet *autem & hoc ex* Physicis *repetere, quòd grauitas potius substantiæ conditionem sequatur quàm qualitatis discrimen.* Nam *& aqua feruens, & uapor, ambo calida sunt: uapor tamen leuis, & aqua*

grauis

grauis eſt. Tanto minus de corpore noſtro admirandum eſt, quòd ſit graue ſimul etiam & calidum. Subſtantia enim grauium elementorum in eo ſuperat. Solus Galenus ab hoc diſſentire uidetur, qui in primo de Sanitate tuẽda ſic ait: Ergo ſtatim in generationis initio coniectum copioſius oportuit elemẽtum, id quod ſiccandi uim haberet. eſt uerò id natura quidem maximè ignis, ſed tamen & terra: eſt enim ea res quoq; ſicca. Verùm huius plus immiſceri principijs nõ erat, ſi modo hæc humida erant futura. Ignis certè quominus plus admiſtum ſit, nec obſtat quicquam: & ſanè eſt admiſtum. Eſt enim in hoc loco difficultas non una. In primis nõ ex accidente, ſed ex natura maiorem uim ſiccãdi hic locus igni tribuit. At credo quod proprium ac perpetuum eſt, naturale uocari: certè ignis perpetuò plus quàm terra exiccat. Quocirca opinor ipſum hoc tantum dicere, terræ ſiccitatem ignauam eſſe, ac maiorem illius qualitatem requiri ad moderatam principiorum noſtrorum exiccationem, quàm corpus noſtrum ferat. prius enim (ut ſic dicam) plumbeum euaderet. Ignis uerò ſiccitas (ſic enim ego ipſum accipio) alacris eſt, & in parua quantitate, magnam exiccandi potentiam habet. Huc, non dubito, illius ſermo ſpectat: alioquin enim contra proprium inſtitutum procederet. Non ergo ſubſtantia ignis, ſed ſola caliditas emicat. Nec id ſine ratione factũ

Galeni long[?] ...

est:sed quoniam natura pluribus particulis eguit calidis, quàm frigidis. Nec iterum hic frigus, aut illic calor simplex est, sed aliorum natura infectus, aut quodammodo adulteratus. Semina enim reliquarum qualitatum continet, adeo ut ne separare, neq; intelligere quidem ipsum absq; aliis possis. Non enim obiter elementorum qualitates, sed totæ toti sibi inuicem immiscentur. Neq; iam hoc diuinamus, aut sensu agnoscimus, sed ratione experimur. Etenim quamlibet partis particulam eiusdem ordinis ac naturæ esse conuenit. quocirca necesse est, ut quælibet uim frigoris patiatur, ac singulæ singulis respondeant: in differentibus tamen partibus differentes: adeo ut in calidis uincātur frigidæ, econtrario in frigidis calidæ. Quòd si admireris, cur non totum contrarium exploditur, postquam magna ex parte est euictum: non recte facis: quippe & id quod superat, tandem retunditur, nec semper affatim in id quod reliquū est, uim habet. Imò si uerum fateri uelimus, utrunq; contrariorum est exutum, & ex duobus quoddam tertium comparatum, quod utriusq; genium quodammodo retinet, aliquando æqualiter, aliquando plus huius, aliquando illius. uerum familiaritatem quandam inter se concepērūt: adeo ut iam nulla sit manifesta inter ipsa iniuria aut contrarietas, tantùm occulta quædam controuersia ex diuersis relictis potentiis,

quæ

quæ nullo modo contrariorum rationem meren tur, non etiamsi remissorum (ut quidam cogitauerunt) dixeris. Atq; hinc fit, quod forte aliquando admiratus es, cur plantarum uita diuturna, imo homine temperato diuturnior. Non enim quæ in eo relicta est caloris (si quidem ita dicere liceat) scintilla sub frigido periclitatur, sed in unum quodammodo cum reliquis qualitatibus coaluit, adeo ut pauca admodum inter eas actio ac pugna depræhendatur: hæc enim sola lacessit contraria. At de ijs satis in Aphorismis: nam qui ista non capit, nescio quomodo accipere poterit, quòd in aqua incalefacta genius quidam frigidus manet, qui paulatim ipsam ad naturam reducit. Nemo enim hic unquam inuentus est, qui ob hæc, contraria in eodem esse dixerit. Qualitates ergo elementorum totas totis sibi inuicem immisceri oportuit, alioquin una ex omnibus nunquam fieri potuisset. Idem Stoici dixerunt de ipsorum elementorum substantia. Verum hoc, tanquam medico superuacuum, uidetur cõtempsisse Hippocrates, nec multum curauit Galenus, ut etiam ambigua de ea re scripsisse uideatur. Nam in fine primi libri de Elementis nescias an tutiorem sectam eorum putet, qui solas qualitates, an qui prætérea substãtias ipsas totas totis misceri asseruerunt. Quippe prior sermonis pars Aristotelicos, posterior magis commendare uidetur Stoicos, ubi quali-

tates

tates sibijnuicem eo magis insinuari dixit, quo in minora ipsius substantiæ diuisio facta fuerit. Et sanè hoc modo ipsarum partium fermentatio pertinacior est. Huc accedit & ipsorum humorum inter se confusio, quorum ut ferè nullus seorsim reperitur, ita in magnis uasis adeò confunduntur, ut non poßis alium ab alio omnino discernere: quo factũ est, ut quidam sanguinem seorsim negarẽt, sed duntaxat trium humorum mistura constare dicerent. Fateor, erroneum id est: ueruntamen mistionis exactam fermentationem arguit: quippe si humores diuersi seruatis suis formis adeò diligẽter inter se misceri possunt, ut unam phantasiam, quod ex illis concretum est, exhibeat, multo promptius illud idem ipsis elementis, abolitis illorum formis cõtinget. Ac uellem quòd Galenus paulò explicatius nobis hanc rem dißeruißet. nusquam enim manifestè hoc Stoicorum dogma improbat. At mihi quidem cum ipsa ratione maximè pugnat: Nam si quælibet pars alterius elementi alterum excipiat, numero æquales elementorum partes in mistis erunt. At id nõ solum cum ratione dißentit, sed & ipsa experientia: quia ut antè diximus, in omnibus concretis corporibus terra superat. Qualitates ergo totas misceri totis, Peripateticum est, ac neceßarium: substantias uerò, Stoicum est, ac forsan impoßibile, ob causas quas diximus: nisi forsitan cogites, quòd superiorum elemento

mentorum raritas poßet compensare elementorum inferiorum multitudinem ac pondus. Sed hæc potius ad Philosophum pertinet, quàm medicum: quippe & huic opinioni multa incommoda imminent: unum est, quòd neq; sensus neq; ratio hoc arguit: alterum est, quòd longè maior erit ipsorum superiorum luxuria, si quidem tali proportione cum aliis fuerint temperata. Ac dictionem quidem Galeni, quæ est in fine primi de Elementis, facile est excusare. Sed & locum illum in secundo de naturalibus facultatibus, ubi inquit, Quæ nutriuntur omnia, per se tota nutriuntur: & quæ miscentur, per se tota miscētur omnia: pari modo omnia quæ alterantur, per se tota alterantur. Aristotelica simul & Hippocratica sunt, amicè autem oportet accipere, & simul cum iis, quæ in primo Therapeutices: & rursum primo de naturalibus facultatibus, & de elementis dicta sunt, de qualitatibus intelligere. Hactenus & materia & qualitas elementorū in mistis remanent: tanto magis admirabile, quòd forma ipsorū omnino intereat, quum in aliis fere econtrario qualitas prius, quàm forma decedit. Vetus enim prouerbiū est, quòd forma nō excipitur, nisi oportuno: nec iterū exuitur, nisi corpore indoneo ac male affecto. Poßem hic aquæ feruētis meminiße, à qua prius naturæ frigiditas tollitur, quàm ipsa in aërem soluitur. Quòd si corporum cōcretiones diligentius spectemus,

ctemus, idem & hic inueniemus: nō enim in mistis elementorum qualitates retinentur, sed media quedam ex omnibus comparatur, quæ utcunq; singularum indolem refert, ac ut uulgo dicitur, uirtutē potius quàm qualitatem. Sed neq; ipsa forma omnem quantitatem amat, definitā sequitur, inhabitatq;. Itaq; nec elemētum hanc in minima diuisionem tolerat. Iam ergo duobus nominibus elementorum forma in mistis euanescit: quippe qualitate idonea destituitur, & iusta quantitate priuatur. manet autem pro his omnibus quedam media qualitas, quā Cicero naturam, uulgus complexionem uocat. atq; hec est, quam nūc inquirimus. Sed de prioribus paulò prolixius loquuti sumus, ut quicquid apud ueteres de elementis difficultatis sit, ex hoc solo loco iuuenes poßint eruere.

HOC autem opere, quod illi proximè succedit, omnium elementorum differentias, quot hæ, qualesq; sint, siue generatim quis, siue membratim diuidat, inuenire docebo: sumamq; ab ipsa nominum interpretatione principium. Cum enim ex calidi, frigidi, humidi, & sicci temperatura conflari corpora dicūt, de iis quæ summo gradu sic se habēt, ipsis scilicet elemētis, igni, aëre, aqua, terra intelligendum dicunt.

Vnumquodq; elementum alteram qualitatem in summo obtinet, ut in Paradoxis nostris

manifestè ostendimus: & propterea admirandum est, quòd statim postea aquæ summam humiditatem tribuit, quæ aëri debetur: non enim aër potest esse summè frigidus, calidus, aut siccus: puto ergo humidissimam aquam ab effectu apellauit. Fortè etiam humidissimã dixit, quia syncera illius humiditas existit, quippe absq; alicuius siccitatis permistione, quo modo aquã simul & aërẽ ambo absolutè pronũciat humida.

CVM uerò animal stirpémue calidam, frigidam, humidam, uel siccam esse, non item. Neq; enim ullum animal aut calidũ in summo esse posse, ut est ignis: aut in summo humidum, sicut est aqua: pari modo nec frigidum siccúmue in summo, sed ab eo quod in mixtura prępollet, appellationem sortiri: uocantibus nobis id humidum, in quo maior est humiditatis portio: siccum, in quo siccitatis. Ita uerò calidum, in quo calidum frigido plus ualet: frigidũ, in quo frigidũ calido pręstat. Atq; hic quidem nominum usus est. Nunc de temperamentis ipsis agendum.

Secundo modo ista nomina de ijs dicuntur, quæ tales qualitates habent exuperantes: hoc modo animãtia pleraque: saltem homo calidus dicitur: calidus quidem absolutè, humidus uerò non item. nam simpliciter siccus est, nisi principia spectes. hæc enim calida & humida. Itaq;

à prin

à principio quidem homo calidus & humidus, & omnia alia animantia quæ instituuntur semine: postea uerò quædam ex ijs euadunt frigida & sicca. Nouißimè monere oportet tum hic, tum alibi, parum intereße an qualitates, an elementa ipsa audias: subinde tamē qualitates ipsæ alterātur, nulla portione alicuius elemēti immutata: quin & ipsa terra & aqua incalfieri posſunt, manente ipſarum ſubſtantia.

ILLORVM igitur, qui tum medicorum, tum philoſophorū maximè illuſtres fuere, plurimi ſanè opinati ſunt humidum aliquod calidumq; temperamentū ab humido & frigido diuerſum eſſe, ac tertium ab his ſiccum & frigidum diuerſum à ſicco & calido.

Phyſicæ fortaßis ſatis erat hominis temperaturam calidam & humidam, ac in omnibus unam dicere. quoniam ut alibi demonſtrauit Galenus, tale eſt utrunq; noſtrum principium. At medicus debet eas multifariam diſtinguere, nō quidem propter ſe, ſed morborum & remediorum comparationem. Parum enim æquè medicamentum accōmodat, qui temperaturam ignorat, ſiue temperamentum emendet, ſiue purgationem obeat: ſed periculum eſt, ne uno calipodio omnes calceet. Ad horū igitur differentiam temperatum hominem deſcribere opus eſt, ac demū ad hunc omnes alios exigere ac expēdere:

atq;

atq; ita non duas, sed quatuor compositas intemperaturas inueniemus methodo discretas. Veruntamen quidam ex aduerso duas exemerũt, calidam & humidam, frigidã & siccam. Quod qua ratione fecerunt, nunc ab ijs audiamus.

NONNVLLI tamẽ eorum humidum simul ac frigidum temperamẽtum quoddã esse cõcedunt, atq; etiam ab hoc alterum calidum siccumq;. Non tamen aut humidum simul & calidum, aut frigidum pariter & siccum temperamentum esse. Neq; enim posse aut humiditatem cum abũdante calore consistere, aut cum frigiditate siccitatem: quippe absumi à calido, cùm superat humiditatem. Itaq; fieri ut calidum simul & siccum corpus euadat. Eandem, ubi imbecillus in corpore est calor, incoctam imperfectamq; manere: quo fieri, ut calido uincente sequatur siccitas, frigido superante humiditas. Atq; ii quidem his rationibus innixi, duas tantùm esse temperamentorum differentias opinantur.

Excusari utcunq; potest, quòd calidum exiccet humidum. Nam lucerna seipsam absumit, & aqua feruens ultro exhalat. Non tamen tolerari potest, quòd frigidum humectat. Nã tametsi pluribus excrementis corpus repleat, solida non diluit. Potius abstulissent frigidam & humidam. Nam ut calidum uidetur humidum di

gerere, ita frigidum humidum exprimere. Non tamen hoc in omnibus uerum est, sed tantum in ijs frigidis, quæ foris corpori incumbunt. Sed nec hoc est impoßibile, quòd calidum dotetur excellentiori humido quam frigidum: ueruntamen in medicamentis nullum est insigniter calidum aut frigidum, quod est humidum.

QVI uerò ea quatuor autumant, bifariam his contradicunt. Alij statim id quod primum petunt, negātes: nempe quòd necesse sit humorem à calido superante digeri. Alij contrà ei quidem assentiuntur, sed alia ratione dissentiūt: ac priores quidem calidi munus esse, ut calefaciat, asseuerant: frigidi, ut refrigeret: sicuti rursus sicci, ut siccet: & humidi, ut humectet. Proinde corpora quæ calida siccáque natura sunt, quemadmodum ignis, ea quatenus calida sunt, excalefacere: quatenus sicca, siccare. Quæ humida calidaq; sunt, ueluti calens aqua, hæc non humectare modò, sed etiam calefacere posse semper, utraq; qualitate hîc quoq; unum opus, idq; propriū obtinente. Haudquaquam igitur concedere se, si quid calefaciat, idem protinus & siccare: imò si calori humiditas sit adiuncta, non calefacere modò, sed etiam humectare, quemadmodum balneum dulcis aquæ. Sin sicuti calidum, ita etiam siccum

corpus

corpus ſit, uelutiignis, ſtatim id tum calefacere, tum uerò ſiccare. Non tamen id calori referendum acceptum, ſed ſiccitati, quæ ſimul eſt adiuncta.

Hæc ratio non ſubuertit eos, qui per accidēs humida calido exiccari credunt: ſed tātum eos, qui id propria ratione fieri contendunt.

ADMONENT autē hoc loco nos de his qui ſub æſtiuo ſole diutius ſunt uerſati, atq; ita ut credibile eſt arefacti, ac totū corpus ſiccum ſqualidumq; habent, intolerabiliterq; ſitiunt. Quippe remediū his expeditum & facilimum dicunt, non modò ſi biberint ſolùm, ſed etiam ſi calidæ & dulcis aquæ balneo utantur, tanquam humiditate, ſiue ea cum frigore ſit, ſiue cū calore, ſuum munus obire ualente, quippe humectare ea quæ contingit.

Diluta eſt hæc obiectio. Nā balnea potius tepida quàm calida: deinde licet inſigniter ſint humida, occaſione caloris ſubinde exiccant, & ſitim prouocant. fieri tamen poteſt, ut aliquando ſitim diluant, utpote eam quæ naſcitur potius ex totius habitus ariditate, quàm ſtomachi ſiccitate. Nā talis ſitis longè promptius tollitur balneo calido & humido, quàm potu frigido.

AD eūdem modum & ſiccitatem ſemper aiunt ſiccare. Boreā enim qui ſiccus eſt, & frigidus ſit uentus, omnia ſiccare & refrigerare:

frigerare:idq́; esse dictum ab Homero:

Vt uerò humentem desiccat protinus agrum

Autumni Boreas.-

Opium

Pari modo & papaueris lacrymam, & alia sexcenta pharmaca siccare pariter & refrigerare. Itaq; non esse necessarium, si quid frigidum est, idem quoq; & humidum esse. Nec si quid calidum, idem protinus & siccum. Neq; igitur calidum temperamentum necessariò esse siccum: imò posse aliquando in animalis temperamento calidũ quidem plus ualere, quàm frigidum, & humidum quàm siccum.

Si tolerari poterant, qui omne calidum dixerunt exiccare: non tamen ferendi sunt, qui cõtendunt omne frigidum humectare: fortè exemplo senum decepti, quia frigidi sunt, & multis undicunq; excremẽtis obnoxij. Sed de ijs postea.

QVINETIAM tum generationem, tum alterationem, tum mutationem ex cõtrarijs in contraria fieri. Quis enim est, qui si dixerit album alteratũ, demutatumq́; esse, propterea quòd factum sit calidum, nõ sit ridiculus? cũ postulet ea oratio nõ eam, quæ est in calido & frigido oppositionẽ, sed quæ est in colore mutationem. Mutatur enim quod album est in nigrũ, & quod nigrum est in album. Rursus quod calidũ est

est in frigidum, & quod frigidum est in calidum. Ad eundem modum & quod humidum est in siccum, & quod siccũ est in humidum. Quippe si dicas alteratum corpus esse propterea, quòd cũ prius esset humidum, nunc sit album, uel cum prius esset siccum, nunc sit nigrum, parum compos mentis uidearis. sin quod prius erat humidum, nunc factum esse siccum, aut quod prius erat nigrum, nunc effectum album, aut etiam ex calido frigidum, aut ex frigido calidum, utiq; sapere & conuenientia dicere cėsearis. Quod enim mutatur, quatenus mutatur, eatenus cedere in contrarium debet: siquidem, factus est hic aut fit musicus ex non musico, dicimus, & grammaticus ex non grãmatico, & ex non rhetore rhetor: ex musico uerò grãmaticum, aut ex grammatico musicum, aut ex alio quod diuersi sit generis, fieri aliquid dicere, sanè est absurdũ. Potest enim qui prius erat grammaticus, nunc musicus esse, utiq; si musicen grammaticæ adiecit, nec grammaticen abiecit. Atqui si quid acquisiuit priore etiam manente, cui non patet non esse alteratum in eo quod manet? Ita non ex grãmatico factus est musicus. Quippe nunc etiam grammaticus est, sed ex non musico musicus. Non enim potest post-

quam musicus est factus, etiam non musicus manere.

Nemo lubenter dixerit uel audierit, Plato factus est calidus ex albo. Sed refelli nequit qui dixerit, ex grammatico est factus rhetor, ex rhetore medicus. non enim mutationis denotat uicissitudinem, sed qui spectatur inter artes, ordinem. Nequaquam uerò is conuenit inter album & calidum, aut ijs similia.

CVM igitur omnis mutatio & à cõtrarijs, & ex contrarijs fiat in contraria: manifestum est etiam humidum, si quatenus humidum est, mutetur, tum ipsum siccatum iri, tum quod id siccet, siccum dicendum esse. Desinant igitur, inquiunt, dicere, nõ posse calidum & humidum temperamentum esse: quippe calidum simul, & frigidũ esse idem temperamentum, aut humidum & siccum non potest: cum fieri nequeat, ut in eodem corpore contrariæ qualitates unà consistant. humidum uerò simul & calidum, præterea frigidum simul & siccum profectò in eodem consistere possunt, sicuti tum ratio ipsa monstrauit, tum (quæ paulò suprà proposita sunt) exempla.

Non est hæc Galeni, sed ueterum ratio: prolixa autem est, & nihilominus obscura. Esto enim quòd omnis alteratio sit inter contraria, & proinde exiccatio inter humida & sicca,

nond

nondum constat, quòd calidum non exiccat: quippe interim semper manent ijdem termini. Nec magis urgebit ratiocinatio: siquidem contraria in ea audias, causam quæ mutat, & subiectum quod mutatur: quippe & calidũ exiccat aliquando, uerùm per accidens: id illi contingit, uel quia cũ sicco coniunctum est, uel quia quod humidum est, disijcit, aut absumit. Quippe & calor noster naturalis licet humidus sit corpora nostra more elichnij consumit paulatim: ueruntamen per se contrarium non patitur, nisi à cõtrario, nec humidum ab alio quàm sicco. Sic ergo oportet supputare: generatio, corruptio, imo & alteratio, & per consequens omnis demutatio est inter contraria & à contrarijs. Fieri ergo non potest, quin & exiccatio sit inter contraria: proinde humidum non exiccatur à calido, sed à sicco: idq; per se: nam per accidens secus fieri potest. Potuißent autem breuius colligere sic, Agens semper contrarium patienti, proinde solum siccum est, quod exiccat humidum.

AC talis quidẽ est prioris propositarũ partium oratio. Altera pars negat alienum à ratione esse, etiamsi calidum efficacissimum è quatuor sit, ita ut non in frigidum modò, sed etiam in humidum agere possit: esse tamen temperamentum, quod calidum sit & humidum. Vtiq; cùm in primo

ſtatim animantis ortu, humoris ſimul, caloriſq; copia in idem coëant. Ratio uerò horum nõ illud efficit, quod nequeat aliquando in eodem corpore humidi plus eſſe, quàm ſicci: & calidi, quàm frigidi: ſed quòd ſub eiuſmodi ſtatu perpetuò durare non poſsit. Quippe digeſto ſemper per calidum humore, ſpatio etiam ſiccum corpus effici: atq; ita pro calido & humido, calidum, ſiccumq; reddi. Itaq; hoc ipſum quod calidum, ſiccumq; eſt redditum, procedente tempore frigidum, ſiccumq; fore. Vbi enim omnem eiuſmodi corporis humorem calor abſumpſit, ipſe quoque, inquiunt, marceſcere inde incipit, deſtitutus ſcilicet alimento, quod ipſum accenderat. Neq; igitur mirum putant, tum inter initia, ſtatim ut gignitur animal, conuenire in idem, aut humidum plus ſicco, aut calidum plus frigido, tum temporis proceſſu quod prius erat calidum & humidum temperamentum, poſtea poſſe calidum eſſe & ſiccum: æquè ut poſtea quæ ſicca erat, calidaq; temperies, ubi calor ipſe extinctus eſt, frigidam, ſiccamq; euadere. Ergo eſſe quidem aliquod temperamẽtum, quod calidum ſit, & humidũ, & rurſus aliud, quod frigidum ſit & ſiccum, ex iſtis confirmant.

Ne hæc quidem ſecta omnem ueritatem attigit:

tigit: nam ut prior nimis pertinaciter negauit calidum usquam humectare, sic ista in eo peccauit, quòd modum quo calidum humidũ exiccaret, omisit. nam per accidẽs duntaxat euenit, idq́; bifariam: aut quia temporis spatio ipsum digerit, aut alioquin in se absumit. Iam neq; sic ipsum humidum absumit, ut simpliciter siccum euadat: Nam proportio manet, scilicet qui calidus & humidus à principio fuerit, etiam tempore iuuentutis atq; senectutis, proportionem humiditatis suæ obtinet, cũ eo qui siccus est natura comparatus: atq; utrobiq;, ut uulgo dicitur, senectus iuuentutem, pueritiam iuuentus imitatur.

NON posse autẽ temperamẽtorum differentias plures esse quâm quatuor, ex his docere conantur. Quum enim quatuor statuuntur qualitates, quæ in seinuicem agere, patiq; posſint (nempe calor, frigus, ſiccitas, humiditas) oppositiones existere duas, alterã in qua calidũ aduersatur frigido, alteram in qua humidum pugnat cum sicco: eoq́; quatuor non amplius effici cõiugationes. Quippe sex fieri ex quatuor inter se copulatis coniugia: quorum duo subsistere nõ posse: quum neq; humidum pariter & siccum, nec calidũ simul & frigidum dari corpus posſit. Reliquas igitur esse quatuor temperamentorum coniuga-

tiones, duas humidas, & duas ſiccas. Atq; has calore frigoreq; diuiſas. Hæc ſunt quæ elegantiſsimi eorum, qui ante nos fuere, tum medicorum, tum philoſophorum, de his dixere.

Cum corpus humidum appellamus, iuxta cō ditionem ſolidorum intelligimus. Nam fieri non poteſt, ut corpora ſolida definitionem humidorum ſubeant.

Galeni [illegible]

QVAE uerò mihi prætermiſiſſe uidentur, nunc adijcienda reor. Vnum igitur & primũ id eſt, quod temperatam naturam, quæ tamen non uirtute modò, ſed etiam uiribus reliquis præſtat, non animaduerterunt: imò tanquam nulla ſit, prorſus omiſerunt.

Luxuria apparet potius in uerbis, quàm rebus, quum uires & uirtus parum differant.

QVANQVAM ne loqui quidem de reliquis aliquid ſine hac potuerũt. Quippe quòd uel in calida tẽperie calidum præualeat frigido, uel in frigida temperie frigidum prȩſtet calido, id ne intellexiſſe quidẽ eſt, niſi prius ponatur eucratos, ſiue temperata: neq; enim aliò quàm ad hanc temperatam naturam ſunt intenti, cum ſanitatis tuendæ uictum inueſtigant, calidius iuſto corpus iubentes refrigerare, uel frigidius excalefacere, uel rurſus humidius ſiccare, uel

uel ſiccius humectare, ſcilicet quo temperatum quendam, mediocremq; ſtatum efficiant: id quod minus eſt ei, quod exuperat ſemper æquantes.

Λεῖπον Galenus poſuit. Interpretes omnes expoſuerunt, id quod minus eſt aut deficit. Obſcura dictio, ſed ſententia eſt manifeſta. nihil enim aliud admonet, quàm ut intemperata corpora ad modũ corporis temperati reducamus.

ERGO quem aſsidue ſectãtur, & quò ſemper reſpiciẽtes intẽperatos ſtatus corrigunt: hũc ego quidem primum omniũ ſtatũ cenſuerim. Hi uerò, tãtum abeſt ut eius uel meminerint, ut etiã totum prætereant.

Simpliciter, ut antè diximus, & pòſt demonſtrabimus, omnium hominum temperatura eadem eſt, calida & humida, ad cutem ſcilicet collata. Nam uel in his ferè quos tactus frigidos indicat, utpote melãcholicos, calidorum & humidorum proportio exuperat. Frigidam ergo aut ſiccam appellantes ad medium ſuæ ſpeciei conferimus. atq; hanc prius oportet ſuis modis deſcribere, quàm de reliquis licet quicquam dicere. Eſt enim omnium aliarum amuſsis, canon, & quodammodo exemplum.

AT nõ præterimus, inquiunt ex his aliqui. In calido enim & humido compræhẽditur. Et quomodo non quinq; eſſe in totum temperamenta dixiſtis, ſed quatuor,

ſi modo optimum non omiſiſtis? Quippe duorum alterum, aut ex intemperatis ſtatibus neceſſe eſt unum eſſe omiſſum, aut ipſum temperatum. Atq; ego quidem ex his quæ ſtatuũt, temperatum ipſis prætermiſſum certò ſcio. Vbi enim calidũ & ſiccum, uel frigidum & humidum, uel aliud quoduis temperamentum nominant, non utiq; ſummas à nobis intelligi qualitates poſtulãt. Imò ex ijs quæ ſuperant, fieri appellationes uolunt. Quòd ſi temperatum ſtatum omitti nolũt, certè reliquorum aliquem omiſiſſe conuincẽtur. Si enim, ſicut ipſi uolunt, temperatus ſtatus is, qui calidus eſt & humidus: omiſsis igitur illis planè eſt is qui frigido intemperamento aduerſatur, & ſicco: nempe in quo humidum præpollet, & calidum. At idem, inquiunt, is eſt. At quî fieri poteſt, ut ſimul exuperet calidum, & non exuperet? & ſuperetur frigidum, & non ſuperetur? Si enim temperatus ſtatus eſt, neutrum alterum immodicè exuperat: ſin intemperatus, neceſſe eſt exuperet altera oppoſitionũ pars. At hoc ipſum inquiunt temperati ſtatus proprium eſt, ut in eo calidum præſtet frigido, & humidum ſicco. Quippe ſi frigidum modicè quidem uincat, non eſſe commodum temperamẽtum: ſin amplius exuperet, iam utiq;

tiq; morbum existere, æquè ut si uehementer exuperet mortem. Ad eundem modum de sicco iudicandum. In principio quidem existere intemperiem: si amplius augeatur, ægritudinem: si plurimum exuperet, mortem: ceu uerò de calido & humido non idem sit iudicium. Quis enim non dicat, ubi uel calidum frigido, uel humidum sicco paulo quidem plus ualet, intemperiem ita fieri: ubi ampliter exuperat, morbum: ubi plurimũ, mortem? Siquidẽ eadem est utrobiq; ratio. Alioqui nec qui calidi humidiq; immodicè status sunt, eos uitio demus: nec q calidi morbi cũ humore immodico consistũt, eos esse morbos fateamur.

Non uidetur mihi Galenus satis urgere. Nã rectè ipsi asserunt, quòd temperati status familiare sit, ut exuperet calidum & humidum, respectu scilicet totius substantiæ: proinde falsum est, quòd ut medicus excessus frigidi, ita & calidi faciat intemperamentum: nisi medium in ipsa specie respicias: ergo ij obtinent, quòd temperatum calido præpollet & humido. Verùm si hac ratione uelint temperatum contineri sub calido & humido, eadem comparatione & omne aliud intemperatum huc generaliter referent: quia antè constituimus, quòd omnis etiam melancholica intemperatura, sit hactenus calida & humida. Ergo una ratione omnia sub

uno

uno capite compræhendere debuerunt, aut certè temperatum quoq; ſeorſim ſtatuere, & deinceps ad hoc reliqua omnia expendere.

HVIC ſententiæ aduerſantes quidam Attalenſis Athenæi ſectatores negant aut calidum humidumq; ſtatũ uitio dandum, aut morbum ullum inueniri, qui calidus ſit & humidus: ſed omnino qui uel calidus ſit, & ſiccus, ut febris: uel frigidus & humidus, ut aqua intercus: uel frigidus & ſiccus, ut melancholia. Faciunt hic & de anni temporibus mentionem. Quorum hyemem frigidam eſſe, atq; humidam dicunt: æſtatem calidam & ſiccam: autũnum frigidum & ſiccum: uer autem tũ temperatum, tum uerò calidum, humidumq; appellant. Ad eũdem modum & ex ætatibus, puerilẽ quidem eſſe temperatam, tum uerò calidã humidamq;. Porrò indicari autumant eorum temperiẽ ex naturalibus actionibus, quæ illa ætate maximè ſunt firmæ.

Tres erant rationes, quibus Athenæus omnẽ ſtatum calidum, humidumq; uitio aſſerere uoluit, atq; etiãdum reliquis præferre. Prima mendax eſt. Plures enim morbi calidi ſunt & humidi, utpote qui ex materia naſcuntur eiuſmodi. Secunda ſumitur ex comparatione temporum: & de hac poſtea. In ea uerò quam ex ætatibus aſſumpſit, diutius immorari oportet: præſertim

cum

cum Galenus nihil super ea responderit: nec mirum, quia manifestè falsum est, quòd puerilis ætas maxime temperata sit. Nam quamuis naturales operationes in ijs sunt optimæ, animales tamen infirmæ. Atqui in tēperata ætate utrunq; genus ualidum eße oportet. Talis autem sola est extrema adolescentia, aut ipsa iuuentus, de quo postmodum. Est autem & ipsa adolescentia potius calida & humida, quàm frigida & sicca. Proinde nihilo secius eādem ferè accusationem suppeditat aduersus ea, quæ dicta sunt de adolescentia: quam Athenæus spectabat ex pueritia. Sed nodus iste antè explicatus est. Nā neq; nos omnem statum calidum & humidum damnamus: sed eum qui temperatū excedit: atq; hoc Athenæus ignorat.

SED & mortem aiunt animantiū corpora ad frigidū siccumq; perducere. Quippe mortuos Græce ἀλίβαντας uocari, quasi nil humecti in se habentes: utpote tum caloris abitione eo exhaustos, tum frigore rigentes.

Legendum fortè in Græcis pro ἀποχώρησιν, ἀπόχρησιν, ac si dicas abusum, hoc est, dum calor eo abutitur.

QVOD si, inquiunt, mors talis est naturæ, certè uita, cum sit illi cōtraria, calida est & humida. At uerò si uita, inquiunt, calidū quiddam atq; humidū est, omnino quod

Puer. in actuli... temper. ...

quod illi ſimilimum temperamentum eſt, id optimum neceſſario eſt. Quod ſi eſt, neminem latet idem quoq; temperatiſsimum eſſe. ſic in idem recidere calidum, humidumq; ſtatum cum temperato: nec aliud eſſe temperatum ſiue eucraton ſtatum, quàm caliditatem ſimul & humiditatem pollentes. Atq; Athenæi quidem ſequacium hæ ſunt rationes. Videturq; & Ariſtotelis philoſophi, & poſt eum Theophraſti, & Stoicorum eadem eſse quodammodo ſentẽtia. Ita teſtium quoq; numero nos territant.

Fruſtra Ariſtotelem aut Theophraſtum inuocant: quia Ariſtoteles & Theophraſtus uitam cum morte comparant: quæ ſubinde abſolutè frigida eſt, ut plantarum. Fateor hominis uita calida eſt: ſed non ſequitur, uita eſt in calido & humido, ergo optima uita eſt in calidiſsimo & humidiſsimo. Simile eſt, ac ſi dicas, Exercitium promouet calorem naturalem, ergo maximum exercitium, ipſum maximè auget. quippe contrà infirmat, igitur non omne calidum & humidum ad felicitatem uitæ momentum habet duntaxat modicum: quippe immodicum plurimis malis eſt obnoxium, fortè & præcociorem ſenectutem, quàm temperatum hoc temperamẽtum incurrit. Nam mediocritas caloris ab utroq; exceſsu læditur, ab altero quodammodo

ſtran

ſtrangulatur, ab altero accenditur. Forte neq; naturæ operationes in his pulcherrimæ fiunt. Nam licet promptiſſimè in ijs ſubſtantia apponatur, facilè admodum diffluit ac dilabitur.

EGO uerò quemadmodum Ariſtoteles de calida, humidaq; temperie ſenſerit, in progreſſu, ſi res poſtulet, fortaſſe explicabo: uidentur enim eum non rectè accipere. Nunc id agam, ut eos qui ſic ſentiunt, in quo ſeipſos fallãt, doceam: mox rem totam in unum coactam caput, demõſtrem. Cum enim calidum & humidum atq; etiam eucraton exiſtimant uer eſſe, hîc ſe manifeſtè decipiunt. Nã neq; humidum eſt, ſicut hyems: neq; calidum, ſicut eſtas: quare neu trum immodicè: cum tamẽ ipſis autoribus exceſſum quẽdam indicet quoduis talium nominum.

Inconſtans hæc ſequela eſt. Nam multa calida ſunt, quæ non aſſequuntur caliditatem æſtatis: & rurſum humida, quæ longè abſunt ab hu miditate hyemis. Igitur accipiendũ eſt, quòd uer neutrum ſit immodicè ad modum eorum temporum. Ferũtur etiam huiuſmodi apud autores infirmæ rationes, ſi cum alijs firmioribus committantur.

BIFARIAM autẽ sũt decepti: primũ quidem ex eo, quòd in quatuor anni temporibus quartam temperamentorum cõiu

 gationem

gationem inuentã omnino esse uoluerũt. Deinde quòd id ea ratione concludunt, quòd sit hyeme quidem calidius, æstate uero humidius.

Magnum est erroneæ opinionis argumẽtum, ubi mendax est illius occasio.

VERUM nec quartã in temporibus anni statuere temperamenti coniugationem est necesse, nisi etiã talis appareret: & contulisse id cum temporibus utrinq; positis, non magis id humidum & calidum, quàm frigidum probat & siccũ. Si enim calidum humidũq; excessus cuiusdã nomina sunt, non potest nec ipsis quidem autoribus uerũ esse, quòd uer in omnibus mediocre sit. Si autẽ eò quòd æstate humidius est, hyeme uerò calidius: iccirco humidũ est & calidũ, quid causæ est, quo minus frigidum id, siccũq; putes? propterea quòd æstate frigidius, & hyeme siccius, uel quam sibi facit sortitionem, ut unam partem oppositionis ab hyeme, alteram ab æstate accipiat? Quippe cum ab utroq; in utraq; oppositionum parte dissideat, non ex dimidio collationẽ, sed ex toto habere debebat. Atq; nisi ita fiat, contraria illi inesse dicemus. Nam calidum erit & siccum, si conferatur cum hyeme: frigidũ & humidum, si cum æstate. Ex neutra igitur collatione, si modò integra

est

eſt, calidum & humidum erit. Sed ſi illis licet ex utraq; oppoſitione ſumpto dimidio calidũ id humidumq́; aſſerere: nobis quoq; ad alterum dimidium tranſire, atq, id frigidum & ſiccũ dicere quid ni licebit, ſcilicet ſiccum, ut ad hyemem: frigidum, ut ad æſtatẽ? Omnia igitur hac ratione uer erit humidum, ſiccum, calidum, frigidum. Atqui illorum ipſorum ſententia nõ poſſunt quatuor qualitates in una, eademq́; re præpollere. Ergo neq; æſtati, neq; hyemi uer comparare eſt æquum, ſed potius ipſum per ſe æſtimare. Neq; enim hyemem ipſam ea de cauſa humidam eſſe, & frigidam dicimus, quòd reliquis temporibus humidior, frigidiorq́; ſit: imò id illi alia quoq; ratione accidit: ſed quòd humiditas in ea ſuperet ſiccitatem, & frigiditas calorem, propterea frigida dicitur, atq; humida. Ad eũdem modum & æſtas quum in ea humor uincitur à ſicco, et frigidum à calido, ipſa quoq; calida dicitur, & ſicca. Siquidem æquum cenſeo, quatuor anni temporum quodlibet ex ſuapte æſtimatum natura, non ex alterius cõparatione, calidum, frigidum, humidũ, ſiccúmue nominari debere. Qui etiam ſi ad hanc formulam æſtimes, apparebit tibi uer eſſe omnis exceſſus planè in medio: cum neq; ſicut in hyeme plus ualeat in eo

frigidum, quàm calidum: neq; sicut in æstate, minus. Ad eũdem modum, siccitatis, humiditatisq; æquabilitatem in eo spectes: neq; scilicet in eo sicut in æstate præualente sicco, neq; sicut in hyeme, exuperante humido.

Galenus merito horum rationes improbat: neq; enim ex his unquam colligere poterũt, quòd uer excessum aliquem habeat. Excusari tamen possunt, si modicè, hoc est, potius calidum quàm frigidum, humidũ quàm siccum dixerunt. Quippe & Galeno idem in II. *Aphorismorum, & alibi excidit. Idem ostendunt ea quæ in eo apparent. Non enim temere terra sese aperit, germinat, aut in corpore humores funduntur. Deniq; si adolescentia simpliciter calida sit, & humida, simile illi uer esse oportebit: alioquin excessum aliquem, dum per cutem ac per pectus aër intrò rapitur, in eo faceret: & male* Hippocrates, *cum ipse adolescentiam in* III. *Aphorismorum conferret. Iam in temperato calidum & humidum simpliciter superat, cui ueris iudicium permittitur, & æquale iudicatur. Simpliciter ergo ut & in uere calidum & humidum exuperet, necessum est. Fateor, eadem temperatura hominis & ueris esse non potest: at eiusdem ordinis nihil esse prohibet. Temperatum ergo dicitur, quod temperati hominis statum eundem seruat. Hyems uerò frigida, quia ad frigidum demutat*

mutat.ita de alijs temporibus dicendum.

PROINDE rectè ab Hippocrate eſt dictũ,uer eſse ſaluberrimũ,ac minimè morbis,qui mortem adferant,obnoxium.

Hæc eſt altera probatio. Nam ſi uer ſit ſaluberrimum,ergo erit temperatiſsimum. Fateor quòd intemperatis quibuſdam naturis hyems, æſtas,atq; adeo autumnus pluſquàm uer cõfert. dabo & hoc quòd temperatæ naturæ hyeme melius quàm uere degunt, ſaltem magis cõcoquũt, ſed id per accidens. Amplius quòd uer plurimos morbos adferat,non euenit ob ſuã conditionem, ſed corporum importunitatem. Etenim uer temperatum exiſtit:nullus autem morbus ex temperie eſse poteſt : ſi quidem cum humoribus ipſis proportionẽ ſeruet. Hoc dico propter bilioſum, ſi fortè ſubitò temperiem recipiat. Nam hic inæqualitas quædam inter humores & temperiem oriretur.

EST & autumnus, ut quàm æſtas minus calidus,ſic utiq; quàm hyems minus frigidus.Quare hac ratione nec calidus abſoluto ſermone eſt,nec frigidus:quippe cum ambo ſit,ac neutrum ad ſummũ.Cæterum alterum eſt in eo incõmodum,quod etiam Hippocratis illa ſententia ſignificauit, dicentis in Aphoriſmis: Cum eodem die modò frigus nos afficit , modò calor urget, autumnales expectãdi morbi ſunt. Atq; ea

res est, quæ maxime autumnum morbiferum facit, inæqualis ipsa temperies. Itaq; nō rectè frigid⁹, siccusq; dicitur. Nō enim frigidus est, si ipse per se spectetur, ut hyēs est: sed ubi cum æstate confertur, utiq; illa frigidior. Sed nec æquabiliter temperatus, sicut uer. Imò in hoc maximè ab illo tēpore dissidet, quòd mediā temperiem & æqualitatem perpetuò parem non seruat: quippe meridie multo est calidior, quàm mane aut uesperi. Nec in humido & sicco mediū omnino statum obtinet, quemadmodum & uer, sed ad siccius deuergit. Ab æstate uerò etiam in hoc uincitur, non tamen tanto interuallo, quanto in calore. Ergo patere arbitror, nec autumnum absoluto sermone, & citra exceptione, frigidū & siccum, sicut ipsis placet, dicendum esse: cum neutrum ad summum sit, sed uincat in eo siccitas humiditatem. Qua ratione merito siccus appelletur: in calore uerò & frigore, mixtum quiddā ex ambobus, & inæquale statuatur. Proinde si quatuor temperamentorum coniugationes in quatuor anni tempora distribui uolunt, sciant se non solum ueri calidum, humidumq; statum malè assignasse: sed etiam autumno frigidum & siccum. Quanquam si hunc quoq; concedamus frigidum & siccum esse, nō erit statim necesse

necesse, uer humidum, calidumq́; esse. Non enim si quatuor intemperaturæ coniugationes in totum sunt, iam omnes eas in quatuor anni tempora dispensari necessum est.

Siccum autumnum ponere potuerunt, frigidum autem nequaquam. Etenim inæqualis est, nunc calidus, nunc frigidus, non solùm diuersis mensibus, sed & ijsdem hebdomadibus: subinde etiam ijsdem diebus, in quibus meridies calet, uesper friget. Fateor & in alijs diebus plerunq; meridies uespere calidior, sed proportionẽ quandam partes diei ad sese inuicem seruant. Ne nũc dicam in autumno subinde contrariam mutationem accidere, atq; mane ipsa meridie calidius sentiri: tanta est in autumno inæqualitas, quæ an astrorum, an potius ipsarum nubium sequatur inconstantiam, alius inquirat. Mouet super eadem re problema Alexander. Nobis satis est, quòd hæc inequalitas præcipua pestilentiæ, atq; omnis alterius corruptionis causa est, alioqui si unamquãq; in eo seorsim qualitatem spectes, minus quàm quoduis aliud tempus putredini uidebitur obnoxium. Tale enim calidum & humidum. Autumnus uerò simpliciter siccus est: caliditas uerò ipsius quàm æstatis minor est. Iam nõ solum caliditas hic dominatur, sed cum uicißitudine frigoris committitur, quòd caloris effectum contemperare potest. Quapropter sola inæqualitas corruptionis, quæ in eo contingit,

cauſa eſt. Verùm qua ratione, diſsentiunt neoterici, magna ipſorũ pars debilitatem, quæ ipſam ſequitur, reſpicit. atq; hos æſtas redarguit, quæ multo amplius corpora debilitat: ſed & multa ſunt, quæ uires admodum infirmant, corruptionem tamen aut peſtilentiam nũquam afferunt. Reliqui ergo ad humores confugiunt, qui nunc intrò frigore pelluntur, nunc rurſum foras calido adducuntur: ſed iterum fruſtra: niſi mihi hoc modo ſanguinem extra uaſa educi oſtenderint. Verum id nequaquam facient. Putaui ego aliquando in cauſa eſse diuerſorum humorum generationem. Nam uulgata dictio, Vbi multitudo, ibi confuſio: atq; hic rurſum corruptio. Verùm nec hæc admodum bene ſe habet ratiocinatio. Etenim ſingulis diebus in corpore quatuor humores utiliter perficiuntur. Ergo potius dicã, quòd in autumno nulla magna ſit intemperies, tamen uiciſsim utraq; qualitas humores uitiat. Nam nihilo ſecius ſanguinis ſubſtantia uiciſsitudine calidi & frigidi frãgitur, ac corrumpitur, quàm ferrum, dum uiciſsim nunc calido, nunc frigido tingitur. Corruptionẽ enim hanc in ſanguine, argumento carbonis & carbunculi intelligimus: reliqui enim humores nunquam eam corruptionem, de qua hic loquimur, patiuntur. Huc accedit, quòd neutiquam quæuis corpora citius putreſcunt autumno quàm æſtate, ſed tantum calida & humida, aut humida tantum. Ergo

go in autumno duplicem energiam animaduertere oportet, alteram per accidens, alteram uerò per se: quippe iuxta frigiditatem & siccitatem putredini aduersatur: sed quia modicè talis est hæc eius primaria facultas, à secunda, hoc est, ab ipsa inæqualitate uincitur. Hæc puto nemo ante nos annotauit, sed ipsi harum rerum primi periculum fecimus. Oportet autem & hæc cum quodam respectu intelligere. Nam ut in patria Hippocratis atq; alijs temperatis regionibus autumnus minus, quàm apud alios inæqualis: ita & apud nos minor ueris quàm apud illos æqualitas: quippe quibusdam ueris diebus apud nos subinde manifesta inest inæqualitas: sed hæc non possunt immutare rationem totius. de quibus copiosius in Aphorismis.

SED si quis hoc in mundo est ordo, ac prout melius est, non prout peius omnia sunt disposita: probabilius sit plura quidẽ ex anni temporibus temperata esse facta, unum uero, si modo aliquid, intẽperatum. Qui uerò contrà ostendere conantur, nullum eorum esse temperatum, sed necessario in ipsis exuperare aliàs calidum, aliàs frigidum. & nunc, si ita fors tulit, siccum, nunc humidum.

Fallax hæc est argumẽtatio, nisi cautè ipsum locum accipias. Nam uerissimum est, quòd natura semper nititur ad meliora, etsi non passim

plerunq; aſſequitur. Veruntamen non eſt, quòd uel omnia uel plurima anni tempora ſint temperata, non etiam ſi regionem temperatam acceperis. Iam tametſi quàm maximè ita eſſet, periculum eſt ne eodem argumẽto plures regiones temperatas quàm intemperatas faciamus. Atqui id falſum eſt, nec etiam expediebat, quum rerum uarietatibus è contrario uaria intemperies ſubſeruire debuit. Quid ergo huic ſentẽtiæ faciam, neſcio: niſi ſic Galenus intelligat, ſatius eſſe ut plura ſint temperata, atq; unum intẽperatum, quàm è contrario omnia intempẽrata. Verum neq; ſic accẽpta ſententia alacritatem obtinet. Eſt mihi uериſimile, Galeno in hoc loco accidere quod alibi pleriſq; alijs: qui dum acrius ſtudeant redarguere, ſeſe ipſis excidunt. Nam & duellio aliquando dum ſocium fortius atq; altius complecti cogitat, ſæpe ipſe reſpirat.

EGO uerò, tantum abeſt, ut aut uer, aut ſi quid tẽperatum eſt, calidum atq; humidum dicam: ut quod plane contrarium eſt, id affirmem, omnium aëris ambientis temperamentorum peſſimum id eſſe quod humidum eſt & calidum. Quod ſanè temperamentum in quatuor anni temporibus inuenire prorſus nequeas: in morbido et peſtilenti aëris ſtatu, interdum incidit, ueluti quodam loco Hippocrates commemorat his uerbis: Pluebat per æſtum hymber largus

largus aſſiduè. Id nanq; eſt humidi & cali di ſtatus propriũ, ut in æſtu aſſiduè pluat. Quòd ſi uel tantum æſtus ſit, quemadmodum in naturaliter ſe habente æſtate: uel pluat, ſed in frigore, (ueluti hyeme ſolet) fieri nequit, ut is ſtatus calidus ſit, & humidus. an igitur ſine morbis erat æſtas illa, in qua pluiſſe dicit in caloribus aſſiduè largum hymbrem? Atqui carbunculos in ea fuiſſe narrat, putreſcentibus ſcilicet in corpore excrementis, ac ſaniem quãdam (quæ calida humidaq; immodicè fuerat) gignentibus. Intelliges id ex ipſa dictione, ſi totam tibi adſcripſero: ea ſic habet: Erant in Cranone carbunculi æſtiui, pluerat per æſtum largo hymbri, idq; aſſiduè. Acciderãt autem magis Auſtro: ac ſuberat quidẽ ſub cute ſanies: quę concluſa incaluit, ac pruritũ excitauit: mox puſtulæ ueluti ambuſtis ſunt obortæ, uriq; ſub cute ſunt uiſæ: uerũ hic minus, utpote uno tantũ è quatuor tẽporibus mutato, malũ fuit. Quòd ſi duo tri áue ſint mutata, aut etiã totus annus calidus humidusq; fuerit, neceſſe eſt magna peſtilẽtia ſuccedat. Cuiuſmodi in tertio Epidemion (*ideſt, graßantiũ publicè morborum*) narrat. Apponam autem primum, quæ de temporũ intempeſtiuo ſtatu ſcripſit: dein de de hominum, quæ ſubſecuta eſt, corru-

ptela

ptela. Aduertas autem animũ in omnibus uelim, æſtimesque primum cuiuſmodi res ſit calida humidaq; temperies, quámque ueri(quod tẽperata res)eſt diſsimilis, dein de quàm neceſſariò in ea omnia putreſcãt. Incipit igitur Hippocratis narratio in hũc modũ: Annus auſtrinus pluuius à uẽtis in totũ ſilẽs. Deinde totius ſtatus particularẽ rationẽ his ſubiicit, Crebros hymbres in calido & auſtrino flatu fuiſſe ſcribẽs. Mox uniuerſum ſermonem in unam ſummam cõferens, Cum fuiſset, inquit, totus annus auſtrinus, humid⁹ & mollis, hæc & hæc inciderũt quæ utique omnia in hoc libro ſcripſiſſe ſit lõgũ: licet autẽ cui libuerit in tertio Epidemion mẽbratim ea legere, ac in unũ caput omnia redacta uidere: nẽpe putredinẽ maximã. Cuius etiã ipſius Hippocrates non rarò nominatim meminit: aliàs ſic ſcribens, Erat autem & fluxio collecta haud ſimilis puri, ſed alia quædam putredo ac fluxio multa uariaq;. Aliàs ſic, Et in pudendis carbunculi æſtiui, tum alia quæ putredines appellantur. Et quòd ex hac putredine multis quidẽ brachiũ, & tot⁹ cubitus deciderit, multis femur uel ſura eſt nudata, totusq; pes. Quinetiam magni oſsium, carnium, neruorum, articulorumq; prolapſus inciderunt. Denique nullum ex af-

fectibus

fectibus, quos scripsit, inuenias, qui merito soboles putredinis non sit.

Peßimus atq; insaluberrimus est status aëris calidus & humidus, siue talis fuerit occasione regionis, siue temporis anni. Nam *ut ex tertio Aphorismorum audiemus, corpora superfluitatibus onerat, atq; eadem sua caliditate inflammat: proinde si plura anni tēpora talia fuerint, aut unum tantum, sed grauiter affectum, non simplices, sed pestilentes fient putredines, quæ sola magnitudine ab aliis discernuntur.* Etenim *simplex ac mediocris putredo nō nisi proprium corpus afficit: magna uerò, qualis pestilens est, etiam propinquum prehendit. Ita & inter intemperaturas hominis, quamuis calida & humida sit, ex se uiuacior, ad morbos tamen est opportunior: quippe excremēta citius colligit, atque eadē sua caliditate putrefacit, cum & flamma in humido promptius excipitur, & in calido facilius accenditur.* Ergo *tametsi reliquis intemperaturis per se sit uiuacior, sæpe tamen per accidens citius interit.* Proinde Galenus, *qui in quinto de sanitate tuenda eam finit uiuacißimam, cum solis intemperatis comparat, nec exceßu calidi humiditas redimitur, sed contra magis tabesit atq; plus exoluitur.* Quippe *omnino uita nostra grauius duplice, quàm simplice intēperatura offenditur: ita sola temperata natura, ut mihi nunc uidetur, est uiuacißima.* Fateor quòd

mors

mors quodammodo frigida est & sicca, & quod calidum & humidũ ab externis caussis ægrius ac serius refrigeratur atq; exiccatur: sed aliud corpori calido & humido obest, quod citius diffluit quàm temperatum. Iam quod minimè putasti, felicius iactura reponitur in temperato, quàm altero: nam operationes omnes hic meliores. Omitto quòd mediocritas caloris naturalis nonnihil exasperatur excessu accidentalis. Est autem ipse artifex eorum, quæ in corpore nostro administrantur omnium. Huc accedit Cornelius Celsus, dum dicit, Corpora quæ more Athletarum repleta sunt, celerrimè ægrotant & senescunt: implentur enim calida & humida promptissimè.

Celsus.

QVIPPE cum nec à sicco putrefieri quicquam sit aptũ, nec à frigido, intelligas id, si carnes & reliqua quæcũque asseruari ab hominibus solent, obserues hæc sale, hæc muria, hæc aceto, hæc alio quopiã ex ijs quæ siccant, commodè præparari. Deprehendas et Borea (qui siccus natura et frigid⁹ uẽtus est) omnia quàm diutissime imputria durare. Contrà putrescere facilimè austrino flatu. Est enim is uentus calidus & humidus. Itaq; nos in totũ cõtrà, quàm ij qui calidum, & humidum uer autumãt, decernimus. Cum neque tale sit, neq; si esset, salubre esset, aut sanitati accõmodum: hi autem

hi autem & tale eſse uolunt, & propterea etiam ſalutiferum, ſcilicet utrobique peccãtes, tum in his quæ ſenſu percipere, tum in his quæ ratione eſt intelligere. Cum ſenſu id manifeſtè liceat planè temperatum aduertere, nec minus ratione illud inuenire, quod propterea eſt aptum ſanitati, quòd è quatuor nulla in eo qualitatum exuperet. Quòd ſi uel caliditas eius frigiditatẽ multo excederet, uel humiditas ſiccitatem, ut uarijs putredinibus obnoxiũ, ſic omnium anni tẽporũ morbis eſset maximè opportunum. Nunc quatuor qualitatum mixtionis æqualitas, & mediæ temperaturæ eius & ſalubritatis eſt cauſa. Quid igitur medicis ac philoſophis quibuſdam perſuaſit, ut calidum humidumque uer eſse iudicarẽt? nempe quòd quatuor temperamentorum cõiugia, quatuor anni temporibus adaptare uoluerunt. Porrò id inde accidit, quòd primum omnium temperamentorum, id eſt medium ipſum prætermiſerunt. Quin etiam uictuum, medicamẽtorum, omnium denique rerum differentias in has quatuor coniugationes reducunt. Ex quo manifeſtum eſt, quantopere parum rectæ, fallaceſq; de hominis natura rationes, medicationibus obſint. Satiúſque erat duorum alterum, aut prorſus eiuſmodi rationes non

attigiſſe

attigiſse, ſed totum experientiæ concedere, aut potius in logica ſpeculatione exercitatum fuiſse.

Quòd calida & humida temporis conditio corpora putredini idonea putrefaciat, non tantum ab exceſsu ipſius oportet diſcere, ſed & ex ipſius mediocritate. Quippe & in ueris fine (tametſi utcunq; temperatus ſit) carnes ſubinde aſſeruabis difficilius, quàm in æſtate. Maximè tamen putredini reſiſtunt frigida & ſicca: & ſecurius (ut audio) oua aſſeruantur in paleis, quàm cineribus: proinde humiditas quàm caliditas maior uidetur putredinis cauſa, argumento quòd ſalſamenta, quæ carnes à putredine uindicant, potius ſicca ſunt, quàm frigida. & hinc quoque eſt quòd quædam tutius ſeruentur per mediam æſtatem in ſuperioribus locis, quàm ſubterraneis cryptis. nam ſiccitate quodammodo incruſtantur, humiditate uerò emolliuntur. nec deeſt ratio: nam putredo potius humida, quàm calida. hinc & illud eſt, quòd pituita promptius putreſcat quàm cholera: ægrius tamen febrit pituitoſus, quàm cholericus. nam nunc è contrario febris magis calida, quàm ſicca: proinde febris in pituitoſo difficilius inchoatur, ſed ſemel inchoata promptius repetitur. fortè ex quantitate materiæ hæc præcipitatio partim euenit. Eſt autem pituita in corpore ferè copioſior cholera. Vnum tantum ijs quæ dicta ſunt inſigniter pugnare

gnare

gnare apparet, quòd plura corrumpuntur tempore æstatis calidæ, quàm hyemis humidæ: atq; huius duplex est causa, tamen à plerisque ignorata. altera est, quia huiusmodi corpora, tempore æstatis ferè ex se satis suppeditant humiditatis, non tamen tempore hyemis sufficientem exhibent caliditatem. est enim putredo non tantũ humida, sed & calida: denique maior est æstatis caliditas, quàm hyemis humiditas.

QVIPPE qui nec experientiæ est attẽtus, et naturalia theoremata aggreditur, priusquam rationem qua hæc inueniat, cõuenienter excutit, necesse est in huiusmodi cauilla sit perductus, ac de euidẽtibus, ceu is qui sensu careat, disputet. Tum Aristotelem sibi testem aduocet, male scilicet accipiẽdo ea quæ præcipit. Hic enim calidum, frigidum, humidum, & siccum multipliciter dici nouit. Illi non quasi multipliciter, sed quasi ad eum perpetuò modum dici uelit, accipiunt. Quinetiam is quòd aliquid suo & naturali calore, aut alieno ac acquisititio calidum sit, non esse idem iudicauit. Illi hoc quoq; perperam accipiunt. Adhæc Aristoteles, itémque Theophrastus, quò respicientes temperatam, intemperatámue naturam esse, iudicare oporteat, diligenter prodiderunt. Illi ne id quidem intelligũt, sed cum hos audiunt, animal calidum, hu-

midumq́; dicere, aut puelli temperiem humidam calidamq́; esse: nec quemadmodum ea dicta sunt intelligunt, & stupidi ad quatuor anni tempora rationem transferunt.

Nihil hos iuuat Aristotelis aut Theophrasti autoritas: neq; enim illi simpliciter uitam in calido & humido constituunt, sed uitam ad mortem conferunt.

CEV uero idem sit, ac nõ longo interuallo dissidens propriam alicuius temperiem calidam humidamq́ue esse, aut circundati nobis aëris. Neque enim aut idem est, aut similiter dicitur, animalis tẽperies calida & humida, sicut aëris temperamentum calidum dicitur & humidum.

Tametsi tẽperaturæ similes esse non possunt, ordine tamen æquales subinde existunt: quocirca nescio quãtũ hæc Galeni redargutio urgeat.

QVAE igitur sit omnium horum occasio, iam dicam, clareq́ue ostendam ijs, præsertim qui intenti esse uolunt, exiguum errorẽ in his quæ inter initia logicæ speculationis traduntur, maximorum errorum occasionẽ fieri, fortasséque omnibus, quæ uel in cũctis artibus, uel in uita actionibus perperã geruntur, sophismata succedunt.

Non semel Galenus admonuit Logicæ speculationis errorem, omnium ferè eorum quæ in re medica, atq; alibi malè committuntur occasio-
nem

nem eſſe, & propterea mirum non eſt, quòd prioribus ſeculis, in quibus uſq; ad ſophiſmata fuit uitiata dialectica, & reliquæ omnes artes conſpurcatæ fuerint.

ATQVE hæc quidẽ ſophiſmata illi uitio ſuccedunt, quòd utique non rectè definitum eſt de calidi ſignificationibus, ſed duobus id tantũ modis dici putatum. Quorum altero ſignificetur, quod ſyncerũ, immixtum, & ſimplex eſt: altero quod in mixtione cum ſuo contrario id ſuperat. Quod autem et alteram temperiem cũ altera conferentes ſubinde alteram earum calidam (*pro eo quod eſt calidiorem*) pronunciamus, id non meminerunt. Atque ad eũ modum animantia ueteribus calida & humida ſunt dicta, non propriæ temperaturæ gratia, & ſermone abſoluto, imò ad ſtirpes & demortua collata. Quippe demortuis & ſtirpibus animantia calidiora humidioráque ſunt. Quinetiam ex animantibus ipſis ſpeciatim inter ſe collatis canis ſiccior eſt, homo humidior. At ſi formicæ uel api canẽ cõferas, illas ſicciores, hũc humidiorẽ inuenies. Ita idẽ animãs præut homo ſiccũ, præut apicula humidum fuerit. Rurſum ad hominem collatum calidum, ad leonem frigidum erit. nec mirũ ſi ad aliud, atque aliud comparatum contraria ſimul dici de ſe patitur.

d Neque

Neque id alienum est, si idem corpus simul calidum frigidumq; dixeris, nisi ad idem cõferens sic dixeris. Quod enim incommodum, si eundem hominem dextrum sinistrumq; dicas, nisi ad eundem cõferens ita dicas? Cum ad alterum dextrum esse, ad alterum sinistrum, nihil sit absoni. Sic igitur et canis humidus pariter & siccus, præterea calidus simul & frigidus est, non tamen ad idem collatus. Quippe ad hominem si conferas, siccus est: ad formicã, humidus. Rursus hominis respectu calidus est, leonis frigidus. Quinetiã calidus est ut uiuens, cum mortuus non amplius sit calidus: non calidus, ut ad alterum (si ita uis) canem comparatus. Atque hæc quidem omnia per collationem inter se dicuntur. Quæ uerò ut in animantium genere conferuntur, alia ratione, sicuti etiam quæcunque in aliqua animalium specie. Canis namq; ad formicam & apim est humidus, in animantium genere est siccus. Rursus ipsorum speciatim canũ hic siccus, ille humidus, alius (ut fas est cani) temperatus. At dictũ quidem est à nobis in secundo de pulsuum agnitione, de tali nominum usu diffusissime. Necesse tamẽ uidetur nunc quoque summatim aliquid de his quod ad rem propositam sit utile, dicendum. Quod absoluto sermone, nec ad aliud

aliud ullum collatum ſiccum uocatur, id in ſolis elementis eſt, igni, terraq́; . Sicut humidum in aqua & aëre. Ad eundẽ modum, & de calido frigidoq́; ſentiendũ. Nullũ enim cæterorum corporum prorſus calidum frigidúmue eſſe, ſed ſola elementa: quicquid præter hæc cœperis, ex his mixtis conſtat. Eoq́; ſecundo ſignificationum genere, calidum frigidúmue eſt, non abſoluta ratione ueluti ſyncerũ, & à mixtione alienum, imo ueluti uel calidum largius, frigidũ parcius: uel frigidũ largius, calidũ parcius ſit ſortitum: reliquorum quiduis calidum frigidúmue dicitur. Ac duo quidem ſignificata calidi, frigidi, humidi, & ſicci hęc ſunt: Alterum ex abſoluto ſermone loquẽtium, mixtura carens, & ſyncerum: alterum ex contrarijs quidẽ mixtis conſtans, cæterum ex pollentis in mixtura nomine appellatũ. Hoc genere ſanguis, pituita, adeps, uinum, oleum, mel, quicquid his ſimile eſt, humidũ dicitur. Os, cartilago, unguis, ungula, cornu, pilus, lapides, lignũ, arena, later, minorẽ portionẽ humidi ſunt ſortita, maiorẽ ſicci: eoq́; huiuſmodi omnia ſicca dicũtur.

Tribus modis dicitur calidum, frigidum, humidum, & ſiccum. Primo de corporibus, quæ tales qualitates licet ſummas non habẽt, ſynceras obtinent. Sic ignis ultra extremam caliditatem

purè ſiccitatem habet, terra tamen minorem. Inquirere uerò cur ignis non ſit ſummè ſiccus, perinde eſt, ac ſiquis roget, cur ignis non ſit frigidus. Nam unumquodque prout illi melius erat, ſua qualitate dotatum eſt. Aliter hæc nomina de ijs dicuntur, ſcilicet quæ uincentes licet non ſynceras contineant: ſic homo dicitur calidus & humidus, apis frigida & ſicca. Nouiſſime comparatiue ſumuntur: atque in ijs comparationibus Galeni prolixitas plus ſatis moroſa eſt. Breuius enim dici poterat, quòd huiuſmodi quinq; ferè æſtimatur modis. Nonnunquam enim uiuens refertur ad demortuum. Subinde ad medium totius ſubſtantiæ, ut ſingulæ ſubſtantiæ ad hominum cutem, præſertim quæ in manu eſt. Tertio ad medium genus animantiũ, hoc eſt hominem. Quarto genus generi comparatur. Quinto ſpecies ſpeciei, & ſubinde indiuiduum indiuiduo, nonnunquam eiuſdem ſpeciei, nonnunquam alterius.

FORMICA uerò ſicca eſt, & uermis humidus, ſcilicet ut ſunt animalia. Rurſus inter ipſos uermes alius ſiccus, alius humidus, idque abſolutè loquendo ut uermis, uel alteri cuipiam uermi comparatus.

In genere animantium, hoc eſt, reſpectu medij alicuius in genere animãtium. Secus enim hæc omnia, adeo & ipſe homo ſimpliciter ſiccus eſt.

Cæterum

CAETERVM hoc ipsũ quod dicim⁹ (*ut uermis siccus, ut homo calidus, ut canis frigidus*) nisi quis rectè accipiat, & prius intelligat quid sibi uelit, necesse est omnem sermonem confundat. Est autem rectè accipere, id quod in secũdo de pulsibus agnoscendis dicitur, unumquodque secundum genus, uel speciem, non modò calidum, frigidum, humidum, siccúmue, sed etiam magnum, paruum, celere, tardum, aliaq; id genus tunc nominari, cum supra mediocre, mediumque sit. Verbi gratia, animal calidum, cum supra medium temperie sit animal: equum calidum, cum supra medium temperie sit equum. Porro in quoque genere speciéue media sunt ea, quæ Græcè symmetra dicuntur: quippe quæ à summis in eo genere & specie finibus æqualiter distant. Ac genus quidem est animal, species equus, bos, canis.

Huiusmodi orationes sibiipsi cõparationẽ finiũt: ut si dicas, Vermis est humidus ut animal, hoc est ad mediũ aliquod in animalis genere. Si uerò dixeris, ut uermis, iam comparationem audimus ad medium eiusdem speciei. Si rursum canem calidum animal dixeris, supra medium aliquod in genere animantis intelligimus.

MEDIVM tẽperie in toto animalium genere homo est. Id enim in sequentibus

 demonstra

demonstrabitur. Medium uoco ut in hominum specie est, quem Græce εὔκρατον uocāt (*Latinè, puto, quadratum*). Is porrò est, quem nec gracilē dicere, nec crassum possis: sed nec calidum, nec frigidum, nec alio quouis nomine ex ijs quæ excessum defectúmue indicāt, appellare. Quisquis super hunc fuerit, is prorsus calidior, frigidior, humidior, sicciórue est.

Ita quidem decuit. Siquidem homo inter omnia animantia prudentißimus & sapientißimus eße debuit. Nam alibi ostendimus, neque siccum, ut dixit Heraclites: *neq; melācholicum, ut Aristoteles: sed temperatum pollere ingenio & prudentia.* Hoc *enim ferè modo, quantum licet, omnium qualitatum expers est. quod quantum ad summam prudentiam confert, constat ex deo, qui ut simpliciter omnibus qualitatibus expers est, ita unica est prudentia.* P*ostquàm ergo corpore omnino ad intelligendum eguit, sicut alibi demonstrauimus, quàm temperatißimo & absolutißimo opus habuit.*

NOMINATVR autem talis absoluto partim sermone, partim nō absulto. Absolutè quidem loquēti, quoniam calidus, frigidus, siccus, humidúsue esse, minime uni alicui priuatim collatus dicitur.

Ne hoc referas ad eum qui præceßit sermonem, quasi quisquis infra tēperatum hominem frigidus

frigidus eßet, ſimpliciter ſcilicet ad totam ſubſtantiam comparatus frigidus diceretur. Nam *id falſum eſt: quando, ut antè diximus, & melancholicus, & pituitoſus calidus eſt. Generatim ergo intelligit, quòd calidus ac frigidus de permiſtis dupliciter dicatur, à dominio, & comparatiuè. Fateor hunc locum aliquando aliter expoſuimus: at nunc hæc commentatio nobis uidetur æquior.*

ITA enim canis abſoluto quidem ſermone, prout uidelicet cuipiam opinio eſt, animal ſiccũ dicitur: nõ utique alicui comparatum, uerbi gratia formicæ.

De ſiccitate à dominio hic ſermo eſt. Satis autem obſcure addidit animal ſiccum. nam ex hoc ſuſpicaretur aliquis, quòd canem ad medium totius animalis generis comparaßet. Minus ſcio cur adijcit, Prout cuipiam opinio eſt. *nam & homo ſimpliciter ſiccus eſt.*

NON abſolutè uerò, una quidem ratione, quod ſcilicet ſymmetro, id eſt, coæquali & medio totius ſpeciei comparatur. Altera uerò, quod cum eo quod inter omnia animalia coæquale, & media temperie eſt, quicquid id ſtatuas, confertur. Ergo iam palàm fit, quòd unumquodque eorũ quæ ſic dicuntur, nos id uel unicuicunque comparantes calidum, frigidum, humidúmue, aut ſiccum, ut ad illud dicimus, uel in quo

cũque genere ſpeciéue ſit dictum, ad eius mediũ referẽtes. In ſpecie quidẽ, ut equo, cane, boue, platano, cupreſſo, ficu. Genere uerò, ut animali, uel planta. His accedit & tertium ſignificatum, eorum ſcilicet quæ abſoluto ſermone dicũtur, quæ impermixtas ſummasq́; habere qualitates diximus, ac elementa uocari. Quinetiam qualitates ipſas eſt quãdo corporibus ijs, quæ affecta qualitate ſunt, ſimiliter appellamus. Verũ de hoc mox agetur.

Dictio eſt manifeſta. Nunc enim canem, aut ſi uis, aliud ſiccum ad ſpeciem ſuam, ſecundo ad genus comparat. Sed quædã à quibuſdã hic deleta, utpote quæ eorum iudicio ſuperabundabant. Ferri tamen poteſt lectio: nam nihil refert, canem ad ſpeciei & ad generis medium comparari. nam & Græcum noſtrum exemplar ſic habet.

SED ad rem propoſitam, cum qualitate affecta corpora trifariam dicantur, conſiderandũ arbitror in quaq; dictione, quemadmodũ utamur appellationib⁹, utrúmne ut ſimplex aliquid & immixtum iudicantes, an ueluti ad ſymmetron eiuſdem generis uel ſpeciei cõferentes, an ueluti ad rem quamlibet. Sicut, cum os ſiccum dicimus, aut frigidum, abſoluto ita ſermone nominantes, non adiecto leonis, canis, aut hominis

minis.Palàm nanq; eſt, quod ad uniuerſam naturam omnium quæ ſunt in mundo corporum reſpicientes, aliquid cõcipimus medium, cum quo conferentes ipſum ſiccum dicimus. At ſi quis leonis uel canis, uel hominis os ſiccum eſſe dicit, liquet hunc rurſus ei quod in ipſis animalium oſſibus medium eſt, id cõparare. Eſtque quoniam uniuerſorum animalium alijs magis, alijs minus ſicca oſſa ſunt, hic quoque os aliquod in aliquo animaliũ genere intelligendum, quod media temperie ſit, uerbi cauſa hominis: atq; huic reliqua collata, alia humida, alia ſicca appellanda. Iã in ipſis hominibus alius os ſiccum, alius humidum habere dicetur, utique ei qui medius eſt, ut in hominib⁹, collatus. Quod uerò in omnibus quæ ſunt, quod mediũ inter extrema eſt, id ſymmetron, atque in illo genere uel ſpecie temperatum ſit, in omni mihi ſermone ſubaudiendum perpetuò eſt: quãquã ſit in dictione nõnunquam omiſſum. Atque cum hæc quidem ſic ſe habeãt, ubi aliquis hanc, uel illam humidã, calidámue temperiem affirmat, rogãdus eſt quemadmodum dixerit, utrúmne hũc quempiam uni definito comparans Platoni, uerbi gratia, Theophraſtũ, an ſecundum genus quodlibet, ſpeciémue collationem faciens. Quippe uel ut hominem

nem, uel ut animal, uel ut ſubſtantiam abſolutè. Tertium enim ſignificatum cuiuſuis talium nominũ, quod ſimplex eſſe impermixtúmque diximus, id in mixtis ſubſtãtijs nõ eſt: ſed in ipſis primis, quæ etiam uocamus elementa. Ita cum quodque affectorum qualitate corporum trifairiam dicatur, nobis ad propoſitam de temperamentis tractationem duobus tantum eſt opus, ut qui uel ad unumquodlibet, uel ad medium eiuſdem generis comparemus. Quoniam autem multa genera ſunt, quemadmodum utiq; et indiuidua, poterit multis modis idem corpus & calidũ, & frigidum, & humidũ, & ſiccum eſſe. Verum cum uni cuilibet comparatur, admodũ manifeſtum eſt, cõtraria de eodem dicere licere: ueluti Dionẽ Theone quidẽ & Memnone ſicciorẽ, Ariſtone & Glaucone humidiorẽ. At cũ ad mediũ eiuſdẽ generis, uel ſpeciei fit collatio, hîc iam confundi conturbariq;, qui parum exercitati ſunt, ſolent. Idem nanq; homo humid⁹ ſimul & calidus eſſe poteſt, ſed nõ minus ſiccus et frigidus. Verum ſiccus quidem & frigidus ad mediocris temperamẽti hominem comparatus: humidus autem & calidus, ad aliud quoduis animal ſtirpémue aut ſubſtantiam collatus: uerbi gratia, ad animal, ut apem, & formicam: ad ſtirpem,

ſtirpem, ut oleam, uel ficum, uel laurũ. Ad aliam uerò quampiam ſubſtãtiam, quæ nec animal ſit, nec planta, ut lapidem, ferrum, uel æs. In his uerò collationem quæ ad hominem fit, ad rem eiuſdem ſpeciei dixeris. Quę ad apem uel formicam eſt, ad aliquid eiuſdem generis. Simili modo quæ ad ſtirpem ſit quamlibet.

Variè, ut diximus, comparationes expenduntur: ueruntamen quædam orationes ſunt, quæ rectas ſibi comparationis ſpecies definiunt, ut ſi quis os ſiccum dixerit, palàm eſt, quòd ad uniuerſam ſubſtantiam referat: ſed ad os inter animalia medium expendit, qui os leonis ſiccum dixerit: tale autem hominis eſt. Duo poſteriora ſignificata horum terminorum paulò obſcurius deſcripſit. Nam per id quod ad quodlibet comparatur, intelligendum id quod à dominio dicitur.

EST ENIM ſuprà animal ſtirpis genus, quemadmodum ſanè ſuperioris quàm ſtirpium generis ſunt lapis, ferrum, & æs. Vocetur tamẽ pro docendi compendio ad homogenes (*id eſt, rem eiuſdem generis*) omnis eiuſmodi comparatio.

Stirps non eſt genus ſupra animal, ſed animal & ſtirps ſunt ſpecies ſub corpore animato: & hoc nunc intelligit per genus ſtirpis.

ILLVD modo in ea determinantibus nobis, quòd ubi ſimpliciter ſubſtantia quępiam

piam

Temperamentum ad pondus.

piam eucratos siue temperata dicitur, tum hac alia siccior, alia humidior, et alia frigidior, alia calidior, eo loco eam quæ ex contrarijs æqua prorsus inter se portione coëuntibus constet, eucratō siue temperatam nominari: quæcunq; uerò ab hac deficiunt superántque aliquo, ea superantis nomine uocari. Vbi uerò stirpem animánsue ullum eucraton dicimus, nequaquam in ea dictione simpliciter contraria inter se comparamus, sed ad naturam uel animalis uel stirpis referimus, ficū, uerbi gratia, tēperatū dicētes, cùm talis sit, qualis maxime ficus natura esse debeat. rursus canem, suem, equū, & hominem, cùm eorum quisque pro sua natura optimè se habeat: optimè uerò se habere aliquid pro sua natura, ex ipsis functionibus intelligitur. Quippe animal ac stirpem quamlibet tum optimè se habere dicimus, cum optimè suam functionem obeunt. Ficus enim uirtus bonitasque est, optimas plurimásque ficus afferre. Ad eūdē modū uitis, plurimas optimasq; uuas pendere. Equi uerò, quàm uelocissimè currere. Canis, ad uenationes quidē & tutelā quàm animosissimum, ad domesticos quàm mitissimum esse. Hæc igitur omnia, animalia dico & stirpes, optimam mediamq; habere in suo genere temperiem dicemus: non utiq; absoluto

absoluto sermone, cum paritas exacta contrariorum in ijs sit, sed cum ea mediocritas quæ ad potestatem refertur, ijs adsit.

Temperatum quoque bifariam dicitur: simpliciter, & uix talis in manu hominis temperatißimi cutis est: quippe uel hic qualitates elementorum potius quàm ipsæ substantiæ in eodem pondere reperiuntur. Imò quòd mihi uidetur, æqualiter in aliquo elementorum expensis substantijs non poterit non excedere caliditas: quoniam maxime actiua est. Quippe & in homine minor ignis portio est, tamen illius qualitas emicat. Quid ergo illi eueniat ubi elementorum moles æqualiter coiuerit? Potius ergo est hæc de elementorum uirtute, quàm ipsorum pondere intelligere. Frequentius est, ubi temperatum ad officium, munus, facultatem, aut functionem cōparamus, quo modo in unaquaque specie temperatum nuncupamus, quod scilicet ad suas functiones optimè, ut potest, comparatum est. Sic ficus temperatißima, quæ plurimas atque optimas ficus edit. Sic canis temperatißimus, qui fidelißimus aut fortißimus: leo, qui ferocißimus: ouis, quæ mitißima: equus, qui uelocißimus ac fortißimus est.

EIVSMODI aliquid & iustitiam esse dicimus, non quæ pondere & mensura, sed quæ eo quod pro dignitate cōuenit æqualitatē explorat. Est igitur tēperaturæ æqua

litas

litas in omnibus tēperatis animalibus ſtirpibúſque, non ea quæ ex pari elementorum commixtorũ ſpectatur mole, ſed quæ tum animalis, tum ſtirpis naturæ cõuenit.

Ex hoc loco neoterici temperaturam ad iuſtitiam appellare cœperunt. Iuſtitiam autem non tantum ad uirtutem referimus, ſed & iuſtam figuram appellamus, iuſtam magnitudinem, iuſtum uolumen, atque alia quædam, in quibus orationibus iuſtum nihil aliud quàm conueniens aut idoneum ſignificat. Quapropter temperatam naturam, iuſtam appellare temperaturam poßumus, & pro temperato iuſtum ponere. Id enim clarius ac breuius quàm ad iuſtitiam.

CONVENIT autē aliàs, ut humidum ſicco, et frigidum calido præponderet. Neque enim ſimilem habere tēperaturam debent, homo, leo, apis, & canis.

Tēperaturæ aut cauſæ aut organa ipſarum functionum ſunt. Quantum ergo differunt animalium officia, tantum debebant uariare & ipſa temperamenta: ac nuſquam eadem ſunt, ſed diſtinguuntur quamplurimum, non tantum ſpecies inter ſe, ſed & ipſa indiuidua, adeo ut neque geminos unquam inuenies undiquaque ſimiles.

ERGO ad quærentem cuius ſit temperamenti homo, equus, bos, canis, aliúdue quod

quodlibet, non eſt abſoluto ſermone reſpondendum. Nõ enim fieri poteſt, ut qui ad ea quæ multis modis ſunt dicta, & inter ſe diuerſa, uno modo reſpondet, nõ coarguatur. Oportet igitur duorum alterũ, aut omnes percenſere differentias, aut percontatum prius de qua rogauerit, illam ſolam dicere. Nam ſi ut in animalibus, cuius eſset temperamenti, rogabat, ad id quod medio eſt inter omnia animalia temperamẽto reſpicientes, reſpõdere oportet. Si abſolutè, atque ut ad omnẽ ſubſtantiam, ſic iam contraria quæ ſunt in eo, comparare inter ſe oportet, atque æſtimare, haudquaquam ad actiones temperiem referentes, ſed ad elemẽtorũ portiones. Sin huic cuipiam membratim cõparans rogabat, utique ad illud ſolum conferendo eſt reſpondendum. Iam minus etiam ſi indiuiduorum cuiuſlibet, Dionis, uerbi gratia, uel huius canis rogemur quænam ſit ſubſtãtiæ temperatura, eſt ſimplex dãda reſpõſio. Dabitur enim hinc ſophiſtis ad calumniam occaſio nõ parua. Nam ſi calidi eſſe tẽperamenti & ſicci Dionẽ dicat, facilè licebit illis partim hominẽ quẽlibet, qui calidioris quàm Dion ſit, & ſiccioris temperamenti proponentibus, ut ad illum, humidum frigidũque Dionem dicere: partim aliud quoduis animans ſtir-

pémue, uerbi gratia, leonem aut canem, atque his humidiorem ac frigidiorem asserere Dionem.

Totus semper sophistarum scopus fuit, potius confundere, quàm erudire. Nusquam uel etiam optima ingenia citius obruuntur, quàm in nominum similium confusione, aut uerborum uarietate. Hinc contradictiones illæ in dialecticis. Cuiuslibet hominis asinus in quolibet campo omni tempore nunquam non currit. & multa alia magis prodigiosa, magis fatua. Contra hosce tumultus unicum est remedium, ac promptum, talium uerborum ambages nō admittere, sententiam breuißimè reddere: & ubi plures sensus aut comparationes subsint, communiorem accipere. quòd si ambiguæ sunt, priusquam respondeas, definitionem illorum expetere: & quàm primum obmutescit Sophista, qui in ipsis rebus nullam eruditionem habet. Peccant autem & in eo Sophistæ, quòd quæ specialiter dicuntur, generatim aßumunt, aut in alium scopum referunt. Atque hic perspicacem eße oportet, ut quò contendant, poßis intelligere, atq; initia ipsa opprimere. Quòd si ex improuiso lōgius ipsum protraxerit, saltem in fine, scopū ad quem tu à principio tendebas, omißo eo quò ipsi tendunt, respicere, & ambages illorum clarè atq; intrepidè dispescere.

QVISQVIS igitur nec ipse sese fallere, nec

nec ab alio falli uolet: huic opus eſt, ab his ſubſtãtijs, quæ ſimpliciter calidæ, frigidæ, humidæ, ſiccæ dicuntur, incipere, atque ita tranſire ad reliquas. Ac primum quidem illud ipſum in ijs exploratum habere, ne has quidem, tametſi maximè uidentur, abſoluto ſermone dici, quo minus ad mediocre eiuſdem generis comparentur, effugere. ueluti enim canem medio temperamento eſſe omnium canum dicimus, cum pari ſpatio diſtat ab extremis: ita ſubſtantiam medio eſſe temperamento dicemus, cum pari modo ab extremis abeſt, quæ ſcilicet & prima omnium ſunt & elementa. Porrò aberit pari modo ab extremis, cum ea cõtinet æqualiter inter ſe mixta. Ergo quę ſupra citráque hanc temperies erit, eam calidam, frigidam, humidam, uel ſiccam dicemus, ſimul ei quæ media eſt cõferentes, ſimul contrariorum elementorũ examen in ea facientes. Qua nimirum ratione ſimpliciter eam calidam, frigidam, humidam, ſiccámue pronunciabimus. Vbi uerò cum medio temperamento conferimus, non ſimpliciter, ſed quòd ad mediocre eiuſdem generis ſic ſe habet.

Sicuti canem medio temperamento eße dicimus, qui ex æquo diſtat ab intemperatis ſuæ ſpeciei indiuiduis: ita ſubſtantiæ temperatæ dicun-

tur, quæ in medio constant generum substantiæ, hoc est, ipsorum elemētorum. nam hæc extrema sunt in generibus substantiæ, & quæ sola simpliciter calida, frigida, humida, aut sicca dicuntur. Non sunt autem tales substantiæ multæ, sed ipsa cutis.

PORRO genus earum substantia est. omnia enim sub hac ut superiori sunt genere, tum animata, tum inanima. Estque hæc hominis, canis, platani, ficus, æris, ferri, aliorum deniq; omnium commune genus. Sub ea uerò sunt alia genera permulta, animal quidē, auis, piscis: stirps, arboris, & herbæ: auis, aquilæ, & corui: piscis, lupi, & rhombi. Simili modo oleæ, & ficus genus est arbor: anagallidos & pęoniæ herba. Iam hæc ultima sunt genera, eoque species appellantur, coruus, rhombus, ficus, anagallis, similiter homo, & bos, & canis. Ac superne quidem descendentibus, hæc ultima sunt genera, proinde species dictæ. Infernè quidem ascendentibus, ab indiuiduis scilicet substātijs, prima sunt. Indicatumque alio opere est, merito omnia quæ media sunt inter prima genera, & indiuidua, simul genera, & species à ueteribus nominari.

Hic ordo generum, & specierum, ex prædicamentis Aristotelis quærendus est.

ERGO cū definita significata iam sint, ac clarè

ac clarè indicatum, quemadmodum tum ab ſoluto, tum non abſoluto ſermone, calidum, frigidum, humidũ, ſiccúmue corpus aliquod pronũciandum ſit, quærendæ nobis deinceps eorum ſunt notæ. Quãquàm hic quoque decernere prius de nominibus oportet, quæ in habẽdo nobis ſermone neceſſariò incident, ſimul explicare rem quandã, quę poteſtate prius iam mõſtrata eſt, nõ tamen ab omnibus qui hos commentarios euoluent, facile ſaltem intelligi poteſt. Itaque de nominibus prius locutus, mox ad rem reuertar. Quòd calidum, frigidum, humidum, ſiccúmue, non unum aliquid ſimpliciter ſignificent, ubi de corporibus dicuntur, prius eſt indicatum. Quòd autem & ſolæ ipſæ in corporibus qualitates, citra corpora quæ eas ſuſcipiunt, ſic interim nominentur, id quidem ut nondum eſt dictũ, ita nunc dici eſt tempeſtiuum. Quemadmodum nomen albi, tum de colore enũciant, cum ita loquuntur, contrarius eſt albus color nigro: tum de corpore quod colorem ſuſcipit, cum ſcilicet oloris corpus album dicunt: ita & calidi nomen, tum de qualitate affirmant ipſa, tãquam ſi caliditatem appellarẽt: tum uerò de corpore, quod caliditatem ſuſtinet. Quippe qualitatem à corpore, quod eam ſuſcipit, diuerſam habere na-

 turam,

turam, & propriam existimare oportet: ueluti in opere de elementis est indicatum. Et caliditas quidem qualitas est, eadem uerò & calidum dicitur, ueluti & albedo album. Ipsum uerò corpus calidum, unum hoc nomen tantummodo obtinet, calidum, sicuti album. Nunquam tamen caliditas uel albedo corpus ipsum dicitur. Ad eundem modum siccum, frigidum, & humidum nominantur, tum ipsum corpus, tum qualitas. Non tamen ipsum corpus frigiditas, humiditas, uel siccitas appellatur, quẽadmodum quæ in eo est qualitas. Hæc cum sic se habeant, nõ alienum est, cum uel caliditatem, uel frigiditatem disputans quis profert nullam exoriri captionem, quòd solæ qualitates his indicentur nominibus. at calidum frigidúmue cum dicitur, quando & qualitas ita, & quod eam suscipit, corpus nominatur, facile fit ei qui redarguere studet, ut quod à loquente non significatur, id quo possit repræhendere, accipiat. Eiusmodi enim rem faciunt, qui sententiam illam, qua dicit Hippocrates augescẽtia corpora plurimum habere innatum calidum oppugnãt. Neque enim esse corpus aliquod (*calidũ*) ipsum innatũ animali calidũ ab Hippocrate dici intelligentes, neque id quid sit, usquam quærẽtes: sed de sola qualitate, quam scilicet

ſcilicet caliditatem appellamus, nomen id dici præſumentes, ſic dictum eius refellere parant. Et iam apparet, quod de homonymia diſtinguere, tametſi ſit res parua, tamē in rerum uſu non leuis experitur momenti. Verum cum hoc quoque abunde ſit definitum, rurſum id quod ſupereſt, repetamus. Cum humiditas & ſiccitas, caliditas & frigiditas, ſynceræ quædam & impermixtæ qualitates ſunt, quæcunque has ſuſcepere corpora, ea calida & frigida, humida & ſicca, prorſus exacteque dicuntur.

Quòd calidum tam de corpore dicitur, quàm qualitate, uix admonitione eget: æquè manifeſtum eſt, quòd caliditas, calor, ac ſimilia tantum de ipſis qualitatibus dicantur: & propterea periculum eſt, ne nimis ſcrupuloſè hoc nomen calidum Galenus in Aphoriſmis accipiat. Nam nūc θερμὴν, *nunc* θερμὸν *legimus. Et quemadmodum in Aphoriſmis oſtendimus, nihil refert. Nam ſi ſubſtantia ipſa copioſior ſit, & ipſe calor quoque in pueris quàm iuuenibus liberalior erit, non tamē in ordine maior. de his in Aphoriſmis latè diximus.*

ATQVE hæc mihi genitorum & pereuntium elementa intellige. Reliqua corpora uel animalium, uel ſtirpium, uel inanimorū omnium, ueluti æris, ferri, lapidum, lignorum, in medio primorū illorum ſunt

collocata. Nullũ enim aliorum uel ad summum calidum, uel ad summum frigidum, uel ad summũ humidũ: uel ad summũ siccũ est, sed uel mediũ prorsus cõtrariorũ, ita ut nihilo magis sit calidũ quàm frigidũ, aut humidum quàm siccũ: uel ad alterũ contrariorum esse propensum, ita ut magis calidum sit quàm frigidum, uel magis sit humidum quàm siccum. ac siquidẽ medium plane sit in utroque contrariorum genere, ita ut nõ sit magis calidũ quàm frigidũ, aut humidũ quàm siccũ, εὔκρατον id, siue tẽperatũ omnino dicitur. Sin alterum cõtrariorum superet, siue in altera oppositione, siue in utraque id sit, nõ etiam dicetur εὔκρατον. At si calidum est magis quàm frigidum, quod magis est, id appellabitur. Idem statuẽdum de sicco & humido. Ad eundem modum, si magis frigidum sit, nominabitur frigidum. At si in utraque oppositione alterum superet, siue calidum unà cum humido, siue calidum unà cum sicco, siue frigidũ simul cum humido, siue frigidum unà cum sicco, utique pro uincenti sortietur id corpus appellationem.

Quòd nullum ex mistis corporibus sit extremè calidum aut frigidum, humidũ aut siccum, ex eo est, quia permistum.

ET has quidem quatuor intemperies, ut

ut suprà diximus, plurimi norunt tum medici, tũ philosophi. Reliquas quatuor, quæ ex dimidio harum constitutæ sunt, nescio quomodo derelinquunt, sicuti etiam eam quæ prima omniũ optimaq; est. Cæterũ quod superãte calido, liceat nihilo magis humidã esse q̃ siccã tẽperiẽ, quod utiq; ad hanc spectet cõiugationẽ, id uel ex ijs quæ iam dicta sunt, manifestum arbitror, facileque est, etiam si nihil esset prædictum, id colligere. Concedentibus semel illud saltem, alterã esse tẽperiẽ humidã & calidã, alterã siccã & calidã. Si nãq; necessariũ omnino nõ est, siccã esse, quæ calida sit, sed licet eã & humidã esse, licebit utiq; & mediã esse: propior nanque siccæ temperaturæ media est, quàm humida. Ad eundem modũ est & frigida quædam temperies altera, in qua nimirum frigidum prępollet: hãc tamen nec humidam esse nec siccam est necesse. Sed potest inter has & media esse. Rursus enim hic quoque eandem afferes rationem: nempe si necesse non est frigidam temperiem esse humidam, scilicet & siccam eam fieri manifestum est, mediã quoque esse posse: quippe quæ uicinior humidæ, quàm sicca. Ergo ueluti duæ intemperies altera oppositione sunt monstratæ, altera calida tãtum, altera frigida: sic in altera oppositione duæ aliæ

ſtatuantur, altera ſicca tantum, altera humida, mediocriter ſcilicet ſeſe habentibus calido & frigido. Iterum nanque dicemus hic quoque, ſicuti neceſſe non eſt, ſi qua temperies ſicca eſt, hanc protinus calidam quoque eſſe: ſed fieri poſſe, ut etiam frigida ſit: ita fieri poteſt, ut quæpiam nec calida ſit, nec frigida, ſed in hac quidem oppoſitione eucratos ſiue temperata, in altera ſicca. Simili modo nec humidã temperiem neceſſe eſt calidã frigidámue eſſe, ſed eam mediam eſſe inter huius oppoſitionis extrema licet. Si igitur neceſſe non eſt, ut uel intemperiem quæ in calido eſt & frigido, ſequatur ea quæ eſt in altera oppoſitione intẽperies, uel hanc quæ in illa, licebit aliquãdo & naturam quæ in caliditate & frigiditate temperata ſit, uel ſiccam eſſe, uel humidam: inuicemq́ue quæ in his temperata ſit, uel calidam eſſe, uel frigidam. quæ ſunt & hæ ab ijs, quas priores tum medici, tum philoſophi nobis tradiderunt, quatuor diuerſæ intẽperies, medioq; loco poſitæ inter tẽperatos habitus, & eos qui in utraq; oppoſitione ſunt intemperati. Qui nanq; in ſummo eſt tẽperatus, is neutram oppoſitionem habet ſuperantem. Qui uerò aduerſus hunc eſt intemperatus, utranque habet uitioſam. Medium ſortitur locum,

cum, qui in altera quidem eſt temperatus, in altera intemperatus: qui utique, & ex dimidio eucratos, ex dimidio intemperatus cum ſit, merito medius dici poteſt inter eum, qui ex toto eſt temperatus, & eum qui ex toto eſt intemperatus. Et ſi quidem hæc ſic ſe habent, ſicut certè ſe habẽt, cur nouem dicere uniuerſas tẽperamentorum differentias dubitemus? Temperatam quidem unam, non temperatas octo, quarum quatuor ſimplices ſunt, humida, ſicca, calida, & frigida: quatuor cõpoſitæ, humida ſimul & calida, ſicca pariter & calida, frigida ſimul & humida, frigida ſimul & ſicca.

9 temperamentorum differentiae.

Quòd calidum cum humido committi poteſt, antè demonſtrauimus: quòd autem cum ſicco, omnibus in confeſſo eſt. Non poteſt ergo ulla ſupereſſe dubitatio de temperamento medio. non enim temperamentum ulla qualitas indignatur, quæ utrunque extremum tolerat. Atque ex hac iam demonſtratione quatuor ſimplices temperaturas collegit. quibus ſi temperatum adieceris, nouem erunt.

IN quolibet uerò iam dictorum temperamentorum permagnus eſt exceſſus defectusq; modus, non in ijs modò quæ ſimplicia ſunt, ſed etiam in compoſitis, idque tum in tota ſubſtantia, tum uerò in unoquoque genere. Si cui igitur agnoſcendorum

rum

rum temperamentorum cura eſt, incipiat exercitationem oportet ab ijs in quolibet genere naturis, quæ temperatæ, mediæq; ſunt. Quippe cum ſi his alias cõparet, facile quod in quauis ſuperet, deficiátue, inuenerit. Ergo primũ de ijs quæ ſimpliciter loquentibus temperata intemperatáque dicuntur, agendũ, quæ ſcilicet in omni generata ſubſtantia, non in ſolis animalibus & ſtirpibus diſquirenda diximus.

Quanta eſt latitudo eorum, in Techna diximus: nam generaliter intemperaturæ in tres ſtatus diſtinguuntur, in neutrum, in ſalubrem, & ægrotantem. Quinimo & ipſa temperies ſimplex nõ eſt, ſed latitudinem ac ſpatium obtinet, cuius uel illud argumentum maximum eſt, quòd per totam adoleſcentiam durat. Sunt etiam qui per ſingulas ætates uelint ſeruare ac deducere. Ego uerò dicere auſim, calidum & ſiccum natura molliorẽ obtinere pueritiam, quàm temperatum: ſed de ijs in Techna. Quòd ſi intemperaturam ad totam rerum ſubſtantiam referas, iam maior erit latitudo: anguſta uerò, ſi hoc modo æſtimes, ipſa temperies.

PORRO hic quoq; tantillum de nominibus diſtinguere ſaltem conueniet, quòd calida temperies alia iam energia, ſiue (ut loquũtur) actu ſit, alia poteſtate: tũ quòd poteſtate ea eſſe dicamus, quæ quod dicuntur,

tur, id nondum ſint, ſed facile id fieri poſſint: quoniam naturalem, ut id fiant, facultatem ſint adepta. Igitur primũ de his quæ actu calida, frigida, humida, & ſicca ſunt, diſſeramus, auſpicati ab uniuerſa ſubſtantia, mox ad animalia & ſtirpes deſcenſuri. Ita enim conſummationem habebit, quod inſtitutum nobis eſt.

Quòd alia energia, alia potentia talia ſint, in tertio latè dicemus: ſunt tamen de quibus dubites. Non enim ſola oua & uinum poteſtate habentur calida, ſed & caro quarundam auium, quæ uiuæ actu erant calidæ. Atqui *interim cadauer omnem priorem calorem exuit, ob id mihi calida poteſtate uidentur duplicia, alia quæ poßunt incalfacere, alia quæ in calidum poſſunt conuerti, ac talia etiam ſunt quæ antè uel natura uel actu fuerint calida.*

QVONIAM igitur quod in omni genere, maximeq; in uniuerſa ſubſtantia medium eſt, id ex mixtione extremorum conflatur, utique cõueniet, ut tũ notitia eius, tum agnitio ex illis ſumatur: ac notitia quidem facilima eſt, quippe quę à calidiſſimo omnium quæ ſub ſenſum ueniunt, ueluti igni aut quapiam aqua, quę ad ſummum ſit feruens, ad id quod omnium quę nobis apparent, eſt frigidiſſimum, ueluti glaciem & niuem uenietes, æſtimato inter ea interuallo,

lo medio, ad unguem id didicimus: ſic enim ſymmetron, quod ſcilicet ab utroque extremorum pari abeſt ſpatio, intellectu compræhendemus.

Ex *contactu, inquit, nunc ignis, nunc aquæ feruentis, nunc uerò niuis, aut glaciei, licet æſtimare, ac intelligere ipſum exquiſitè medium, atque temperatum. Obſcurius paulò hæc ſententia expreſſa eſt, ſed Græca lectio ſic iacet:* ἀπὸ γὰρ τοῦ θερμοτάτου πάντων τῶν εἰς αἴσθησιν ἡκόντων, οἷον ἤτοι πυρὸς ἤ τινος ὕδατος ἄκρως ζέοντος, ἐπὶ τὸ ψυχρότατον κατελθόντες ἁπάντων ὧν ἴσμεν, οἷον κρύσταλλον ἢ χιόνα νοήσαντές τι διάστημα μέσον ἀκριβῶς τοῦτο τέμνομεν. *Cuius, meo quidem indicio, hæc eſt ſententia, À calidiſſimo ad frigidiſſimum uenientes, ac inter hæc medium aliquod intelligentes, exquiſitè medium hoc ipſum ſortimur, aut diſtinguimus. Promptior hæc eſt dictio, quàm ipſa res. Nam facilius eſt ita dicere, quàm medium intelligere, aut ſtatuere.*

QVINETIAM id nobis præparare licet miſcentibus aquæ feruenti parem modum glaciei. Quod enim ex ambobus eſt mixtũ, pari interuallo ab utroq; extremorum aberit, & eo quod urit, & eo quod frigore ſtupefacit. Non eſt igitur difficile ei, qui ita mixtũ tetigerit, medium uniuerſæ ſubſtantiæ in calidi frigidique oppoſitione

ne habere, eiusq́ue meminiſſe, atque alia omnia illi ueluti normę adaptata iudicare.

Non impugnat hæc miſtura quod prius diximus: quoniam longè aliud eſt miſcere aquam feruentem glaciei, aliud ipſum ignem. Nam, ut diximus, in eodem pondere caliditas ignis frigiditatem aquæ exuperat.

QVINETIAM ſi terram, quæ ſicca ſit, uel cinerem, uel tale aliquid, quod planè ſit aridum, pari aquæ modo imbueris, mediũ in ſicci humidiq́ue oppoſitione effeceris. Ergo ne hic quidẽ difficile eſt, ubi uiſu pariter tactuq́ue eiuſmodi corpus noueris, memoriæ id infigere, eoq́ue ad humidorum ac ſiccorum quæ deficiant, ſuperéntue agnitionem pro norma exemplaríque uti.

An ex ijs media quædam temperatura fiet, neque contendere, neque aſſerere uolo. nam à cineribus par aquæ quantitas ferè imbibitur, & abſorbetur: & alioquin pars terræ, ut grauior eſt, facile ab aqua confunditur. horum examen ocioſis relinquimus.

PORRO corpus, de quo iudicandum eſt, mediocriter calens eſto. Nam hoc ipſum humidi ſicciq; medium corpus, ſi ad ſummũ id calorẽ frigúsue ſit perductum: falſam interim imaginationem excitabit, uidebitúrque quàm ſit mediocre, aliquan

do

do humidius, aliquando ſiccius. Quippe ſi liberalius calefiat, liquatum iam ac fluxile, humidioris ſubſtantiæ phantaſiam de ſe præbebit: contrà refrigeratum plus iuſto conſiſtit, ac cogitur, immobileque redditur, & durũ tangenti apparet. Vnde etiam falſam ſiccitatis imaginationem exhibet. Quòd ſi ueluti humidi ſicciq; parem modũ habet, ſic caloris ac frigoris ſit medio, nec durum, nec molle tangenti apparebit id corpus.

Frequenter ſiccum apparet humidum, quia calore liquatum eſt. nam & humidum frequenter ſiccum apparet, quia concretum frigore. Hac *ergo ratione oportet utrunq; diſtinguere, priuſquàm ſicci aut humidi arbitrium ſenſui poßis committere.* Non *enim ſenſus, ſed ſola ratio, quid per ſe, aut quid per accidens durum ſit aut molle, diſtinguit.*

ATQVE tota quidem eiuſmodi corpora, per tota ſe miſcendi, calidũ, inquam, frigidum, humidum, aut ſiccum, homini facultas non eſt. Terra enim aquæ confuſa miſcetur quidem (quatenus ſcilicet uideri cuipiam poſſit) atque ita tota toti cõtēperatur. Cęterũ appoſitio exiguarũ partium ea eſt nequaquam totorũ per tota mixtio: ſed ambo ea per tota miſcere, Dei, uel Naturæ eſt opus: magiſque etiam ſi calidum

ac frigidum inter se tota per tota miscenda sint.

Ars naturam imitari potest, assequitur autem nunquam: ita & terram aquæ obiter miscere possis, adeò ut ipsa sensus discernere nequeat. at ubi tota totis miscentur, ne intellectus quidem ea ab inuicẽ distinguere potest: nullam enim partem tam paruam excipias, quæ alterius portionem non contineat.

ATTAMEN oppositionẽ huiusmodi efficere, ut sensum effugiãt singula simplicium corporum, non solum naturæ opus, deúe est, sed etiam nostrum. Neque enim difficile est, tali mixtione lutũ, quod medium sicci humidíque sit, mollire. Simili modo, & quod calidi ac frigidi sit medium: uidebiturq; tibi eiusmodi corpus in calore & frigore temperatum, imò etiam in duritie mollitieque medio statu esse.

Videtur cõmiscere lutum cum aqua calida: atq; hic potest fieri medium inter humidum & siccum. Sed nõ uideo quo modo orietur medium inter calidum & frigidum: nam lutum minus habet frigiditatis, quàm feruens aqua caliditatis. Ergo tantillum in ipsa mistione oportet minuere calidum, ut totum euadat tepidum. Est enim id exquisitè medium, quamuis uulgus putaret uergere uersus calidum.

ID autẽ genus est hominis cutis, utpo-

te omnium extremorum, calidi, frigidi, humidi, ſicci uerè media, maximeq; ea quæ eſt in manu.

An abſolutè ac ſimpliciter media ſit, ipſe uiderit: mihi plus uidetur accedere ad ſiccũ quàm humidum, modò definitionẽ humidorum apud Ariſtotelem conſulas. ſic & ad frigidum potius quàm calidum, ſaltem propria ratione. Nam calore eorum quæ illi proxima ſunt, nonnihil attemperatur. Sed nolumus hunc locum tam moroſè accipere: nam nobis cum Galeno ſatis eſt, quòd ad tẽperiem, prout licet, accedit proximè.

HAEC enim omnium ſenſibilium ueluti norma futura erat prudentiſſimo nimirum animantium, tactus inſtrumentum ab ipſa natura comparata.

In Græco exemplari accreuit, Familiarium, ubi ſic legitur, Prudentiſſimo animantium familiarium, aut domeſticorum. ac parum refert. Illud potius inueſtigandum eſt, num bene dixerit, quòd cutis tactus inſtrumentum ſit. Nam ubi ad extremum uenit ſermo, non quidem cutis, ſed neruus ipſe primum tactus organum eſt. Quidam mediũ dicũt. Sed neque hoc mihi placet, quoniam ſolus ferè uiſus propter ſubtilitatem, ac luminis neceſſitatem, medium requirit. certè neruus ſine medio ſentit, quanquàm commodè illi cutis temperata circumpoſita ſit, quæ ſi inſigniter aliqua qualitate eſſet affecta, non

recte

rectè comprehenderet externa. Exemplum *habes in singulis propemodum sensibus. nam quibus oculus aliquo colore, forte flauo, infectus est, omnia flaua iudicant: & quibus uniuersum corpus per febrem incaluit, nullum aliud rectè discernunt calidum, tantum delectantur frigido. Proinde medium quidem utile est, sed non ut in uisu necessarium.*

QVO magis eã ab omnibus extremis, calido inquam, frigido, sicco & humido, pari abesse interuallo oportuit.

Sic & crystalloidem omnis coloris expertem esse decuit. Est tamen discrimen aliquod inter crystalloidem & cutem. Nam crystalloides præcipuum uisus organum, spiritu impletur, qui ad illum per neruos funditur. Ac cutis per se insensibilis est, ac spiritu caret. Igitur non quidem cutis sed neruus præcipuum tactus organum est, qua de caussa & ipse medius est inter humidũ & siccum. Quòd si ad frigidum magis spectet quàm calidum, interim tamen sufficienter calidum indicat & frigidum, quia proximorũ calore ad quandam intemperiem ducitur.

IAM utique & cõstat ex horũ omnium æquis portionibus non cõpositis modo, sed etiam per totas se mistis: quod nostrũ nemo planè efficere potest, sed est naturæ opus.

Oportet hoc intelligere de portionibus, non

quidem ipsarum substantiarum, sed qualitatū. Verum neque sic absolutus sermo est. Nam ubi æqua simpliciter est calidi cum frigido portio, ipsum calidū exuperat: quippe & in homine ubi illius portio uincitur, tamen qualitas eiusdem emicat: ergo æquas portiones secundum uirtutem tantum oportet intelligere. Nec ante nos, quod sciam, nemo annotauit. Oportet autem & hoc hic intelligere, quòd de cute interna illi sermo sit: non autem externa, quam appellant epidermida.

QVAECVNQVE igitur partes cute sunt duriores, ueluti ossa, cartilagines, cornua, pili, ungues, ligaméta, ungulæ, calcaria, in his siccum præualet: quæcūque uerò molliores sunt, ficuti sanguis, pituita, sæuum, adeps, cerebrum, medulla tum spinalis, tū altera, in his humidi plus est quàm sicci. Quinetiā quanto siccissima omnium quæ sunt in homine, pars cutem siccitate superat, tāto rursus superatur à cute quod est humidissimū. Porrò uidetur nūc disceptatio nostra ea quæ utilissima sunt attingere, ac docere simul, quòd tū animalium, tū uerò omnium corporum tēperatissimus sit homo. Simul quòd omniū quæ in eo sunt particularum cutis quæ intra manū habetur, omnis excessus planè sit expers.

In ijs omnibus una est dictio, quòd cutis me-

dia

dia ſit inter ſicciſſima & humidiſſima. ſpeciatim uerò quis ſiccorum ac humidorum ordo ſit, audiemus poſtea.

INSISTENTES igitur huic loco æſtimemus quiſnam ſit optimè tẽperatus homo: quem ſcilicet totius ſubſtantiæ, uel potius tum hominum, tũ reliquorum animalium medium, ueluti regulam & normam ſtatuẽtes, reliquos omnes huic collatos, calidos, frigidos, humidos, ſiccóſue dicere oportet.

Durus eſt ſermo, imò ſimpliciter falſus, quòd homo reſpectu totius ſubſtantiæ ſit temperatus, niſi ſecundum illius cutem intelligas: propterea ipſum correxit eo quod ſequitur.

CONCVRRANT ergo oportet in hoc homine notæ multæ: quippe & cum uniuerſa ſubſtantia collatus, medius in ea apparere debet, & magis etiam cum hominibus & beſtijs. Ac medij quidẽ in uniuerſa ſubſtãtia cõmunes notæ dictæ iam ſunt. Quæ uerò in animalium ſpeciebus notantur, actionis perfectione, quæ cuique ſit conueniens, iudicãtur.

Fateor in multis operationibus uincitur à cæteris animalibus. Nam curſu uincitur à lepore, robore à leone, uiſu à lynce, olfactu forſan à tigride: ſed quod ſimilem in omnibus perfectionem ac uirtutem obtinet, nullum aliud inuenies

animans. Sic & intemperatum fortè inuenies, qui pertinacius retineat, alium qui promptius discat: sed qui utrunque egregiè obtineat, solus temperatus est. Quòd si ad extremum sermo ue nerit, ne hic quidem ulla operatio quàm illic est imperfectior, uel ob eam caußam, quòd quæ in intemperatis feliciores uidentur, citò marcescant: quippe ut sunt præcociores, ita temporius contabescunt. De lyncis uerò uisu nihil oportet dicere, quàndo nec talis conueniebat homini.

CONVENIT autem homini, ut sit sapientissimus.

Intelligit sub sapientia reliquas operationes, quòd hæc reliquis potior sit, atque exquisitiorem temperaturam requirit. Nam operationes uoluntariæ etiam in intemperatis quibusdam robustæ perficiũtur: sed solus ille sapientißimus, qui temperatißimus: indicio est, quòd optima fere quæq; ingenia peperit Græcia, aut alia regio tẽperata: unus enim Anacharsis in Scythia. tam rara sunt in regione intemperata bona ingenia. Poßumus nunc id paulò altius contemplari, atq; exemplo ipsorum sensuum fortè crystalloidis condiscere. Nam ut hunc oportebat eße expertem omnis coloris, ita spiritum, qui futurus erat animæ incorporeæ internuntius, oportebat eße ab omni, ut licebat, qualitate corporea uacuum, alioquin animæ incorporeæ incommodum fuißet instrumentum. Vbi uerò corpus

quàm

quàm temperatißimum, ibi quoq; ſpiritus animalis, ac præſertim qui intellectui ſubſeruit, ut licet omnis qualitatis expers eſt, ita neque calidum, neq; frigidum, neq; ſiccum poßis dicere, neq; humidum: atq; hoc quidem modo, ad res altas, & cœleſtes, atq; adeò maximas, maximè comparatus eſt. Simile enim à ſimili facilè capitur. Idem & ipſa oſtendit experientia, quam bene nati ſunt eiuſmodi homines ad res maximas: alij uerò præſertim qui frigidi ac ſicci, aut humidi, ſtipites ſunt, & nihil ex ijs bene contemplari poßũt. Miraberis magis, quòd ut hi ad res magnas ſint inidonei, ita illi ad res paruas, uel quia illorum ingenijs dißimiles, uel quia cõtemptæ. Itaque ij ſoli ſapientes. Reliqui externas res prudenter poßunt gerere, uerum ex altioribus nullam poßunt bene obire, aut dißerere ac tanta nunc nobis inter prudentiam & ſapientiam differentia. de qua re plura in noſtra Techna.

Prudentiae et Sapientiae diff.

CANI ut mitiſſimus pariter ſit atque fortiſſimus: leoni ut tãtum ſit fortiſſimus: ſicuti oui, ut ſit tantum mitiſſima.

Tam cani, quàm oui mitißimum attribuit: ueruntamen illorum corda diuerſè admodum temperata ſunt, à quibus hæc officia pendent. etenim canis ſiccus, ouis humida: propterea non dicam ſimpliciter mitißimũ, ſed fidelißimum, ac fortißimum. Eſt enim quædam facultas, quæ uno nomine exprimi non poteſt. Mitem uerò di-

cimus, qui nulli promptè irascitur, sed mansuetus est. At canis, ut erga familiares mitis est, ita erga exteros durus: ergo rectius fidelis & fortis dicitur. Hoc autem ob temperaturam cordis calidam & siccam euenit. nam contrà qui humidum cor habent, lubrica fide sunt, ac instabiles. Quòd tamen humiditas sit precipua caussa mansuetudinis, ex eo cognoscetis, quòd insigniter siccæ ferè nunquàm cicurari possunt, ut leo, & quedā alia. Iam & omnia syluestria, ut domesticis sicciora, ita magis fera. Iam neq; quouis tempore, sed sola ineunte ætate illa cicurari ac domari possunt, utpote humidiore.

IAM uero quòd corporis actiones consentientes esse animi moribus oporteat, tum Aristoteli in his quæ de partibus animalium scripsit, tū uerò nobis alibi nihilo minus est monstratum. Ac methodus quidem hæc est, exercitari uerò ut non in singulis modò animaliū generibus, sed etiam in uniuersis medium in promptu quis noscat: id cuiuslibet hominis non est, sed diligentis in primis, & qui per longam experientiam, & multā omnium particularium peritiam, inuenire medium queat. Quippe ad eum modum plastæ, pictores, statuarij, alij deniq; fictores, quæ pulcherrima in omni specie sunt, tū pingunt, tum fingūt, ueluti hominem, equum, bouem, leonem formo

formosissimum, ad id quod medium est in illa specie collinentes: laudántque homines quãdam Polycleti statuam, Canonem appellatam. Inde adeò id nomẽ sortitum, quòd partium inter se omnium competentiam ad unguem habeat.

Nescio quas hic corporis actiones prædicat, aut cum animi moribus comparat. Non *enim corporis robur semper respõdet ingenij uiribus, multo minus cũ ijs naturales operationes conueniunt: forsitan ergo animi mores, audaciam, timiditatem, ac similima intelligit.* His *enim & corporis robur ferè respondet, ut qui audax fuerit, robustos neruos obtinet: è contrario pusillanimus, quia cordis temperaturam, ex qua animi mores, & reliqua ferè conditio corporis sequitur.* Idem, *sed clarius, dixit postea, quòd natura effingit corporis particulas iuxta animi mores. patet id ex diuersis animantibus, in quibus natura, unicuique pro diuersitate suæ indolis diuersas instituit particulas: scilicet homo animal natura mansuetum, proinde nihil armatum illi ingenuit: contrà aquilæ & alijs auibus rapacibus ungulas dedit: paucis alia auiũ, alia piscium, alia quadrupedum officia ac membra.* In *quam sententiam nunc mihi uidetur dixiße* Galenus, *quòd animi moribus oportet consentire actiones corporis.* Exempla *super ijs rebus scripsit in libro de usu partium. circa idem quoque*

uersantur libri Aristotelis de animalium partibus.

HABET autem, quem nunc quærimus, plus aliud quàm Canon ille: cum non solum humoris ac siccitatis in medio consistat is, qui ita eusarcos siue quadratus est homo, sed etiam optimam formationem sit adeptus.

Nulla est in Polycleti statua temperies, sed tãtum in ea spectamus figuræ concinnitatem: quapropter non possum non admirari Galenum, qui in quadrato homine ultra id quod laudatur in Polycleti statua, iustam formationẽ spectat. Melius sic haberet sermo, Quia nõ tantùm optimam formationem adeptus est quadratus homo, sed etiam humoris ac siccitatis in medio consistit. Aut sic restituere oportet lectionem, Nam præterea in humoris ac siccitatis medio consistit quadratus homo, præterquàm quòd optimam formationem sit adeptus. Sanè simpliciter sermo absurdus est, tanto magis miror quòd à nemine hactenus animaduersus. nam admodum negligens esse debet, quem hic locus aut similis non moratur.

QVAE fortasse bonam quatuor elementorum temperiem est comitata, fortasse diuiniorẽ aliquam supernè originem habet. Cæterum prorsus ἐύκρατον saltem esse eiusmodi hominẽ, id ferè est necessarium.

Quippe

Quippe mediocritas in carne, ex mediocritate temperamenti prouenit. protinus autem adſequitur tale corpus, ut optimè ad actiones ſit comparatum, tum in mollitie & duritia, præterea calore & frigore mediocriter ſe habeat : atque hæc omnia in ſunt cuti, huiusq; maximè illi parti, quæ eſt intra manum, ſcilicet quæ callum huiuſmodi non contraxit, qualis in remigibus & foſſoribus cernitur. Cum enim gemini uſus cauſa manus ſunt factæ, tactu diſcernendi, & rem quampiam compræhendēdi, utique quæ molles ſunt ad exquiſitius tangēdum, duræ ad aliquid maiore ui capiendum magis ſunt idoneæ. Quin etiam cutis, quæ nō ſolum omnium hominis partium, ſed etiam uniuerſæ omnium generationi corruptionique ſubijciūtur, ſubſtātiæ media eſt, ea nec calloſa, nec dura lapideáue eſt, ſed ſecundum naturam ſe habens, quo ſcilicet cutis genere maximè perfectū eſſe tactum cenſemus.

An forma temperaturam ſequatur, ferè in controuerſiam uertitur. melior pars idipſum negat. neque enim temperatum cum bene conformato idem eſt, neque illius cauſa. Alioquin corpus ſimpliciter ſanum ſatis erat temperato finire, nec opus erat totius in principio Technæ, dum finiretur corpus ſanum ſecundum particulam,

quæ

quæ instrumentorum requirebat commoderationem adijcere: siquidem perpetuum fuerat, idem temperatum & formosum esse. Verum & nominum ratio facile indicat, quantum res inter se dissideant. Sed quia rarò optima temperies optimam formam desiderat, hinc hæsit Galenus, & dubitauit Aristoteles. Physionomia tamen ex lineis mores sumit, at mores temperamentum sequuntur. Si figura igitur mores demonstret, & temperamentum arguit. Quòd si tu Physionomiæ leuitatem contemnere audeas, Aristotelem puto, multo minus Galenum respues, qui postmodum naturam effigiasse particulas secundum animi mores dixit. Deinde non definimus temperamentum pondere, sed actionis perfectione: igitur temperatissimum esse non potest, nisi idem fuerit saluberrimum, quòd nihilo secius operationes quædam per morbos instrumentales quàm similares impediri possint: aut oportet dicere quòd hæc non est iusta definitio, sed tantum descriptio: quia temperatissimum corpus esse potest, licet non sit cōcinnatissimum. Vlysses in exemplo est, qui Achille fuit multo prudentior, tametsi neq; illo, neque Nireo formosior. Ex Aesopo illo scies manifestius, qui & uniuerso corpore omnium suæ ætatis hominum fuit deformissimus, uentrosus, ualgus, incuruus, monstrosus, capite acuto, collo depresso, pressis naribus, prominentibus labijs, uno uerbo, Thersitem turpi-

turpitudine ſuperans, quod tamē eſt uериſimile, cerebro temperatus, quia fuit ſolertiſsimus, & ad omne commentum feliciſsimus. Iam neque ipſe Therſites fuit omnium ignauiſsimus, ſed tantum deformiſsimus. Sed & econtrario fieri poteſt, ut forma ſit potior temperatura, talis Achilles, talis Aiax. Proinde omnino aliud principium forma, aliud temperies ſequitur. quippe hæc qualitatum proportionem, illa uerò diuini artificis ſequitur conditionem. unde rectè ſe habet, quod uulgò dicitur, Homo hominē generat & ſol. neque enim in generatione noſtra cauſſæ ſuperiores uacant, aut rurſum inferiores cogunt, ſed ambæ ſimul agunt. Iure ergo negauit in ſequenti libro Galenus, ipſam formam ſequi temperaturam. ac fallax eſt Phyſionomiæ argumentatio, ſed probabilis: quia tametſi qualitates formarum cauſſæ non ſunt, organa tamen ſunt: uixq́; optima forma eſſe poterit, ſi quidem temperies admodum fuerit uitiata.

AC quòd in duritie, ac mollitie mediũ omnium particularum locum ſit ſortita, abunde liquet. Quòd autem & in calore ac frigore ſimiliter ſe habeat, ex eius ſubſtantia maximè intelligas licet: eſt enim ueluti ſanguine præditus neruus, qui ſit inter neruum & carnem quiddam planè medium, ac ſi ex mixtis utriſq; conſtitueretur. Cęterum neruus omnis exanguis eſt, & frigidus,

dus. Caro multi ſanguinis, & calida. Media inter utrunq; eſt cutis, nec planè exãguis, ut neruus: nec ſanguine abundãs, ut caro.

Duritiem & mollitiem, atq; eius mediam temperiem hactenus tactui credit. Super calore autem & frigore, ac eius medio non ſine cauſa rationem conſulit: ac quia tu forſitan nunquam cogitaſti, nos rationem adijciemus. Nam à circunſtantibus ac uicinis partibus hæc temperies ſubinde mutatur, atque nunc incaleſit, nunc refrigeratur: atque hæc eſt cauſa quare illius naturam ex comparatione nerui & carnis captat: aliud eſt, ubi diuerſa interim corpora quis comparat: tam paruas differentias ſenſus diſcernere nequit, ſed rationem ad hoc requirit. hinc eſt quòd ex comparatione carnis & nerui proportionem caloris & frigoris quærit, & ex promptitudine colliquationis modum humiditatis colligit. Nam ſecus alius hoc, alius illud contenderet mollius.

SI igitur hanc omnium animalis partium ueluti normam indicemq́ue proponens reliqua illi conferas, atque ad eam examines, octo diuerſas intemperies in eis inuenies.

Siquidem hominis temperaturam ad hanc conferas, nō niſi unam inuenies, quippe calidam & humidam: quoniam ſimpliciter, ut antè diximus, in hominis genitura exuperant. Si uerò

par

partes hominis ad cutem conferas, forsitan octo comperies: etenim cerebrum frigidum & humidum, neruus frigidus & siccus, cor calidum & humidum, sic sanguis, cholera autem calida & sicca: quippe si solidas hominis partes diuidas, diu inquires, antequam calidam & siccam aliquam reperies. Sed & simplices temperaturæ tibi negotium facient. nescio enim quæ pars tantum humida sit, quamuis siccam reperies, ut uenas quæ consuetudine sanguinis ad medium temperamentum inter calidum & frigidũ ueniũt: sic licet aliquã particulam inuenias frigidam, nescio quam reperies solummodo calidam. Per morbos tamen hæc incidere poßunt. De quibus omnibus exquisitius in secundo.

IAMQVE membratim tibi de omnibus deinceps disseram. Humidissimum frigidissimumque in corpore pituita est, calidissimum sanguis: non tamen est is perinde humidus ut pituita. Siccissimum ac frigidissimum est pilus, minus eo & frigidum & siccũ est os, hoc uerò minus est siccum cartilago. Proximè hanc sequitur ligamentum (*quem Græci ex cartilagine & ligamento composito nomine χονδροσύνδεσμον uocant.*) Post hunc tendo, deinceps membrana, & arteria, & uena ipsa, scilicet corpora uasorum: succedunt deinde nerui duri. molles autem nerui in humiditate & siccitate mediam

diam naturam, ſicuti cutis, obtinent. nam in altera oppoſitione quæ eſt calidi & frigidi, neruus mollis in medio non eſt, ſed tantum ei deficit de calore, quantum de ſanguine.

Hæc exactius finiet ſecundus liber: quapropter in locum illum mittimus: tantum differentias, quæ cum alijs locis pugnare apparent, annotabimus, quale illud eſt, quòd ſanguis ſit calidißimus. Nam & ipſe in libro de inæquali intemperie choleram calidiorem aſſeuerat: ergo ſanguinem calidißimum intelligere oportet inter ea quæ ſunt humida, aut choleram ab ipſo ſermone excipere. Quòd autem cholera uel ipſo corde, uel hepate calidior ſit, per accidens euenit: quia choleram ex calidiore parte ipſius cibi hepar generat. Nam & multa alia ſunt, quæ ultra principium accenduntur, minimum momẽtum conſequuta, præſertim ſi ad hoc ſunt idonea. ſic ſulphur ſubinde à ſole accenditur, atq; in flammam mutatur. Eſt autem & alia difficultas, quòd ſanguini maiorem humiditatẽ tribuit, quàm pituitæ. hoc enim ijs patrocinari uidetur, qui aquam aëre humidiorem contendunt. Verùm non eſt neceßum, licet ſanguinem cum aëre comparemus, ſtatim ipſum pituita humidiorem facere. nam ſi uel minus ſit humidus, nullus tamen ex humoribus ad naturam aëris accedit propius. Inuenies quoſdam dicentes ſanguinem

guinem humidiorem naturali, pituitam uerò humore accidentali. ſed mihi parum placet diſtinctio.

ITA uerò & reliqua omnia prius dicta, tanto ſunt cute frigidiora, quanto minus habent ſanguinis. Etiam tunicæ ipſæ maximæ ſanguineorũ uaſorum, arteriarum dico & uenarum, non ſolum exangues ſunt, ſed etiam frigidæ natura. Contactu tamen ſanguinis calefiunt, atq; ad medium temperamenti ſtatum ueniunt, ſanguis uerò ipſe à corde ſuum accipit calorem. Quippe id uiſcus natura tũ omnium animalis particularum maximè ſanguineum, tum uerò calidiſſimum eſt: proximum illi iecur eſt, uerum cor paulo quàm cutis minus eſt durum, iecur multo.

Generalis hæc methodus, quam in dignoſcẽdis calidis ac frigidis magis conſulere oportet, quàm ipſum ſenſum. etenim qualitas partium affinium atq; coniunctarum poßet nobis imponere. Dixit autem cor maximè ſanguineum, forſan quia exquiſitißimum ſanguinem continet: licet hepar ad phantaſiam ſanguinis accedit proximius: eſt enim, ut Galenus inquit, quaſi ſanguis craßus concretus.

ITAQVE etiam humidius quàm cutis cor eſt, quanto ſcilicet eſt mollius. Iam uerò caro humidior cute eſt, eadem tamen ca

lidior. Spinalis autem medulla cute est humidior atque etiã frigidior. Sicuti hac rursus humidius est cerebrum.

Manifestè hæc sententia pugnat cum Auicenna, qui ipsum siccum definit. sed de hoc postea.

CEREBRO autẽ ipso adeps, cui concretio cõtingit, propterea quòd membranis adiacet. Crasso nanq; oleo est similis, eoq; congelatur, ubi cum frigidis & exanguibus particulis coniungitur. At neq; circa iecur coire adeps potest, neque circa arterias uenasq; aut cor: sed nec circa aliam ullam præcalidam particulam.

Locus hic non parũ nos fatigauit, priusquàm eum eruere potuimus. Prima difficultas ex nominum confusione, & interpretum uarietate. Nam πιμελή, *Theodorus, & alij quidam, adipem appellant, alij pinguedinem aut pinguitudinem reddunt. & rursum ubi Theodorus pro* στέατι, *sebum uertit, Galeni interpres in libro de facultatibus alimentorum, & alij quidam adipem eius loco ponunt. atque hinc est, quòd adipem nunc humidiorem, nunc scciorem in diuersis locis audiemus, cùm interim hic de solo nomine sit controuersia. Est autem & in ipsa re non parua difficultas. Nam Galenus in distinctione partium humanarum, tantùm adipem numerat. Idem & Aristoteles scripsit in secundo libro de partibus animalium, quinto capite,*

ubi

ubi in cornigeris atq; adeo ijs quorum sanguis corpulentior est, sebum notat: in ijs uero quæ utcunque dentata sunt, imò ijs quorum sanguis dilutior aut serosior, adipem. Idem in tertio de natura animaliũ, ubi ita scribit, Quæ parte utraque dentata sunt, adipe pinguescunt: quæ uero altera, sebo. Eodem in loco inquit, Omẽtum adipe pinguescentibus adipeum est, sebo sebale. Aristoteles itaque non nisi adipem in homine cognouit: atque idem Galenus sequutus est, qui præterea adipem humidißimam corporis nostri particulam definit. Sed ab his nonnihil Auicenna digredi uidetur, qui præter adipem pinguedinẽ in homine numerat, atque adipe humidiorem aßeuerat. Credo ex Galeni libro de facultatibus alimentorum deceptus est, ubi utranq; differentiam numerat. Sed hic error puerilis est, quippe in eo capite Galenus non distinguit humani corporis particulas, sed diuersas diuersorũ alimentorum facultates. Proinde & pinguedinem generale nomen, in sebum & adipem distraxit, quem locum interpres nonnihil obscurauit, qui pro adipe pinguedinem, & pro sebo adipem posuit. Sed quid precor ijs rebus Auicenna faciet? in homine enim nõ nisi alteram speciem, quam Galenus πιμελὴν, meliores interpretes adipem appellant, inueniet. Forsitan ex Aristotelis tertio libro de natura animalium persuasus est, ut utramque partem in homine ordinaret

ret. quoniam in eo loco Aristoteles inquit, adeps inter cutem & carnem, sebum in fine carnis semper est. Atque huic loco Aristotelis quid faciam nescio. nam sebum in ouibus, ac adeps in porcis eundem locum obtinet. Facilius esset Auicennam componere, si quidem primo loco per pinguedinem apud illum intelligeremus adipem: per adipem uerò, quæ secundo loco ponitur, carnem illã pinguem ac frigidam, quæ inter cutem & carnem consistit, uulgus laridum appellat. Sed hoc non patiuntur illius commentarij, qui pinguedinem primo loco laridum exponunt, adipem uerò uocant quæ circa omentum est. Quòd si talem contendunt Auicennæ sermonem, tum ipsi, tum Auicenna toto cœlo ac terra aberrãt. Nam pingue illud, quod inter cutem & carnem est (uocant id in suibus laridum) multo siccius est quàm pingue illud alterum, quod circa omentum est: atque id ipsa experimur experientia: quippe quod circa omentum est, in omnibus calore liquari potest, reliquum uerò nũquàm totum soluitur. Et quomodo ergo Auicenna pinguedinem adipe humidiorem collocat, ob eandem causam neque Aristotelis adipem pro huiusmodi lenta carne dicere potuit, ubi adipem inter cutem & carnem consistere dixit. Nam & ipse ibidem adipem humidiorem asseruit. Horum ergo controuersiam & perplexitatẽ mittamus, atque ad nostrum Galenum redeamus: qui per

adipem

adipem pingue illud quod omento allinitur, & liquari poteſt, intelligit. Quod in alijs quibuſdam animalibus corpulentius depræhenditur, atq; ſebum appellatur. Atque ita ipſe pinguedinem & adipem inter alimentorum facultates partitus eſt. Appellat autem & ipſe aliquando adipem, pinguem illam ac frigidam particulam, quæ inter cutem & carnem inſiſtit: atq; hæc penitus liquari non poteſt, quamuis aliquando decoctione conſumitur: nec de ea hic loquitur, quia carni proportionalis exiſtit, licet colore dißimilis.

QVONIAM autẽ cogitur per id quod eſt ualde frigidum, idcirco calefacta liquatur cæterorum coagulatorum ritu. At cerebrum calefactum minime liquatur, eoq́; adipe minus eſt humidũ. Porro minus humida quàm adeps eſt, & pulmonũ caro, ut quæ nec ipſa calefacta liqueſcat. Iam longè etiam quàm hæc adipe minus humida eſt, tum lienis, tum renum caro, omnia tamen cute ſunt humidiora. Harũ rerum demonſtrationes proximo libro tradam, ſicuti omnia quæ ad uniuerſam de temperamentis diſputationem pertinent, duobus deinceps commentarijs exponam.

Multum confert ad promptitudinem concretionis materiæ corpulentia: atq; hinc eſt quòd ouilla adeps ut eſt durior, ita promptius concre-

Cerebro

Pulmones

lien, Renes

ſcit, ac difficilius ſoluitur bubula. nec refert quòd ouis boue ſit humidior: non enim ſanguinis ſubſtantia ſemper imitatur corporis humiditatem ac ſiccitatem, ſed ſæpe contrà euenit, ut in corpore natura humido ſanguis ſit craßior, in ſicco uerò ſeroſior: cauſa enim eius potius caliditas, quàm humiditas exiſtit. Sic mulieres licet humidæ, ſanguinem tamen craßiorem exhibēt, quàm uiri. Eodem modo & oues quidem ſunt humidæ, tamen & ſanguinem & lac corpulentiora, ac magis terreſtria habent, quàm boues aut ſues: eſt enim his ſanguis magis bilioſus. Ergo nequaquam uerum eſt, quòd unumquodq; eo craßius, quo ſiccius. Quòd ſi aqua terra ſit tenuior, non decet te in hoc exemplo ſubſiſtere, ſed aërem & ignem ſuſpicere. nam hic contrà ignis aëre ſubtilior, adeo ut dicere liceat, quòd ea, quæ ſuam ſiccitatem habent ex natura ignis, ſint ſubtilia: quæ uerò ex terra recipiunt, craßa. Dū ergo ſanguis ouillus magis terreus eſt, quàm ſuillus, craßior quoq; eße debet: quocirca & adeps, qui ſanguinis rationem imitatur, craßior eſt quàm bubulus aut ſuillus. Hæc quoq; cauſa eſt cur concreſcit citius, licet ſit humidior. Proinde non ſtatim ſequitur, hoc eſt humidius, ergo ægrius concreſcit, aut hoc eſt ſiccius, ergo citius. Potius promptitudo concretionis craßitiem, & difficultas tenuitatem arguit. Iam craßitudo non ſemper ſiccitatē, neq; tenuitas humiditatē

ſequitur

ſequitur. eſt ubi tenuitas caliditatem, & craßitudo frigiditatem comitatur. Proinde hanc Galeni deductionem ſupplere oportet, ac de ijs duntaxat accipere, quæ ſimiliter calida ſunt aut frigida: in ijs enim ſuccis ſi quid citius coagulatur, ſiccius: & rurſum ſi quid citius liquatur, humidius. Hæc differentia, quod ſciam, à nemine dicta eſt, ſed ut multa alia, à nobis primum annotata.

HIEREMIAE THRIVERI BRACHELII COMMENTARII IN LIBRVM SECVNDVM GALENI DE TEMPERAMENTIS.



AC quòd multifariam quidem dicatur humidum, ſiccum, calidum, & frigidũ corpus, in proximo definitum eſt libro. Demõſtratum pręterea eſt nouem eſſe temperamentorũ differẽtias: unam quidem, quæ mediocris ſit, & eucratos, quam etiam temperatam uocemus, reliquas omnes intẽperatas: quatuor

ſimplices, unica ſcilicet quaque præpollen te qualitate, calore, frigore, ſiccitate, uel hu miditate: quatuor ab his diuerſas, in quibus utriuſque oppoſitionis altera qualitas exuperat. Dico autem duas oppoſitiones, alteram quæ eſt calidi & frigidi, alteram quæ eſt humidi & ſicci. Ab his ad notas ea rum digreſſi de temperata natura diſcepta uimus: quoniam hæc omnium prima uirtu te, potentia, cognitioniſq; ordine ſit. At quum temperatum aliud abſolutè dictum inueniatur in uniuerſa rerum natura, aliud in ſingulis generibus, principio uiſum eſt de eo cõſiderandũ eſſe quod cõmuniter in uniuerſa natura ęſtimatur. Huius norma iudiciumq; erat elementorũ portionis æqualitas. Cuius rei gratia extremorũ omnium medium ad unguem redditum ἔυκρατον & σύμμετρον, ſiue temperatum & mediocre ma nis, dicitur. Reliqua quæ in ſingulis generibus temperata dicuntur, proprijs corporum functionibus uſibuſque iudicantur. Eoq; fit ut idẽ animalis cuiuſpiam ſtirpiſue corpus omnium quæ in eodem ſunt genere, medium eſſe poſſit: id eſt in illo genere eucratõ & mediocre. Alteri uero cuipiã comparatum uel ſtirpium, uel animalium, uel inanimatorum generi diſcraton ſiue intemperatum. Quippe uiuentis corpus cum de

temperata na, ordine prima -

demortuo collatũ, humidius eo calidiusq́; est. Verbi gratia, leo uiuẽs leone mortuo, cum ipse seipso, tum alter altero calidior humidiorque est.

Paulò altius, quàm Galenus, ea quæ prius diximus, repetere oportet. Non enim ab ipsis temperamentis, sed ab ipsis elementis, atque adeo, ut uulgo dicitur, ab ouo ipsam rem auspicati sumus: naturam, numerum, ordinem elementorum demonstrauimus: deinde illorum in corpore conditionem, proportionem definiuimus, ex qua inuitis antiquis aliquot, non duas, sed quatuor temperaturas compositas ostendimus. Non enim perpetuum erat calori ut exiccaret, sed id duntaxat ex accidente obtinet. Postea temperatam naturã ab antiquis male omißam deduximus, atq; eius rei occasione tempora anni ab illis malè finita, retractauimus, suisq́; modis finiuimus, ubi præter alia duo insignia illorum peccata refellimus: alterum, quòd Autumnum frigidum dicerent, qui inæqualis est: alterum, quòd uer temperatum, calidum & humidum aßererent: cum contrà calida & humida temperatura omnibus alijs sit infelicior, ubi multis uerbis opus erat, antequam illos refellere potuimus. Nam & qualitatum nomina, calidum, frigidũ, humidum, siccum, breuius quàm decuerat, apud Theophrastum, & Aristotelem illi acceperunt. atque ex tribus significatis tertium omiserunt.

Quin & temperatum bifariam dici ostendimus: altero modo in uniuersa substantia, qualis sola cutis: altero in unaquaque natura. Ac iam sermo noster ad utilissimum ferè totius libri locũ peruenerat, qui ex operis perfectione tẽperiem, ex imperfectione intemperiem, ex oblæsione morbum, ex corruptione mortẽ captaret, non solum in hominis, sed in uniuscuiusque alterius specie, pro uniuscuiusque officio & studio. Sed quia hæc methodus pluribus uerbis egebat, in hunc secundum librum est dilata: in quo nequaquam, quod in primo libro fecimus, generali quadam finitione contenti erimus, sed uniuscuiusque temperaturæ notas enumerabimus: non tamen in omnibus speciebus, sed præcipuè hominis: ferè enim illius solius curam habet medicus.

ATQVE inde adeo dictum est ueteribus, animal calidum & humidum esse, non absoluto sermone, quòd humiditas in eo calórue exuperet (sic enim inuenire est animalia sicca frigidaque cõplura, ueluti culices, apes, muscas, formicas) sed ut ad mortua collata. uiua enim apes calidior humidiorq;, quàm mortua est: & formica uiua, q̃ mortua: cũ homine tamẽ, equo, bouéue collata, tum alijs sanguine præditis animalibus, omnia id genus frigida siccaq; tẽperie sunt. Quin si ad uniuersam naturam

spectans

ſpectans ea expendas, ne ſic quidem quo minus frigida, ſiccáque ſint, elabantur: tan quã enim in unoquoque genere, ubi quid à mediocritate receſſit, ab eo quod uincit, nomen accepit. Itidem in uniuerſa ſubſtan tia, cum aliquid medium tranſierit, nõ amplius εὔκρατον, ſed uel calidum uel frigidum, uel humidum uel ſiccum nominabitur.

Si quidem principia animalium conſideres, omnia quæ ex ſemine fiunt, calida ſunt & humi da: ſi uerò tactũ cõſulas, plurima ſicca reperies. Idem eueniet, ſi cum homine, aut media ſubſtan tia, quæ cutis eſt, conferas: talis apes eſt, & quæ hic numerantur reliqua: non enim ſicca tantum ſunt, ſed & frigida. De ape tamen eſt controuer ſia, quia mel eſt calidum. Atque hic nominis ſi militudo illos fallit: non enim mel actu, ſed potentia calidum. Cur uerò potius hominẽ, quàm apim incalfaciat, dicetur poſterius.

MONSTRATVM enim ſuprà eſt ho minem nõ ſolum animalium ſtirpiúmue, ſed etiam reliquorum omnium maximè eſſe temperatum. Quoniam autem ex multis & diſſidentibus is conditus eſt par tibus, manifeſtum eſt quæ pars medio omnium ſit temperamẽto, eam eſſe maxime eucraton ſiue temperatam: quæ nanque animalis eius quod medij ſit temperamen

ti

ti media particula est, hæc omnium simpliciter est temperatissima. monstratum uerò est id esse in homine cutem.

Quemadmodum prius diximus, temperies causa prudentiæ est. nec obest quòd cerebrum in quo intellectus habitat, sit frigidum: hepar uerò ac cor, quod illi spiritum administrat, calidum. Nam hoc pacto ipse spiritus præcipuum animæ instrumentum magis attemperatur.

ATQVE huius eam maximè partem, quæ in manu est interna, si tamen qualem eam natura est molita, talis perstiterit. Iam uerò quòd nec cuiusque hominis cutis medium absolutè loquendo sit uniuersæ substantiæ, sed eius qui maximè est temperatus, dictũ prius est. Plurimam enim esse ipsis quoque hominibus differẽtiã inter se.

Quòd temperata cutis in manu labore indurari, & nimia quiete emollescere posit, admonitione opus non habet: tamen sub tali temperie cutis est ignauissima, & ad omnem ferè operationem inidonea, quia temperatura non est præcipuus aut solus artifex eorum, quæ in corpore nostro geruntur, sed more multorum aliorum instrumentum tantum.

VERVM maximè tẽperatus is est, qui corporis habitu medius horum extremorũ apparet, gracilitatis, crassitudinis, duritiei, mollitiei, itemque caloris & frigoris.

Inuenias

Inuenias etiam cuiuslibet hominis tangendo corpus, uel mitem & halituosum calorem, uel igneum, & acrem, uel horum neutrum: imò frigiditatem quandam præpollentem.

Primum ac ruditer corporis temperamentũ obuia cutis phantasia capitur, tactu atque uisu discernitur. Nam frequenter quæ hic depræhenduntur, interiorum sunt indicia, non tamen semper: & propterea alibi dicitur, quòd neque uisu, neque tactu simpliciter temperatura dignoscitur: subinde enim exteriora ab interioribus dissident: at in temperato omnia conueniunt, atque interiora cum exterioribus quandam proportionem inuicem obtinent.

FRIGIDITATEM autem prępollere ut in hominis corpore intelligere oportet, eoque tum sanguineo, tũ humido. Ac corpore quidem talis est temperatissimus homo.

Ex hoc loco palàm fit, non tantum in temperato aut sanguineo, sed & quouis alio simpliciter præpollere calidum frigido, humidum sicco, etiamdum in ipso melãcholico. Sequitur autem hinc, quòd uiscera quædam, quæ natura calida sunt, & humida, in melancholico quàm temperato sint qualitate elementorum æqualiora. Imò sequitur amplius, quòd & melancholicus simpliciter sit magis attemperatus, quàm qui re

uera

uera à Galeno temperatus ponitur. Succedit tertio & illud quod grauius est, melancholicum hominem temperato sapientiorem. Sed huic loco respondere possem, quòd licet corpus melancholicum sit simpliciter temperatius, nõ tamen ipse spiritus, in quo mens habitat. Verum alteri loco quid faciam nescio. mirum quòd ne hunc quidem nodum aliquis animaduerterit. Possemus dicere, quòd melancholicus simpliciter plus excedat sicco, quàm temperatus, quãdo & ipse temperatus simpliciter siccus dici debeat. Sed non possent idem dicere de calido. nam si temperatus atque etiam melancholicus calidus est, certum est quòd hic magis accedit ad ipsam temperiem. non ergo temperatissimum hominem finiam ab æqualitate, sed muneris felicitate.

IDEM animo quoque medius omnino est audaciæ & timoris, cũctationis & præcipitationis, misericordiæ & inuidiæ. Fuerit uerò talis alacer, amicorũ amãs, humanus.

Post corporis externam phantasiam statim sese exhibet animus, qui & ipse sua extrema habet & media. Quomodo autem ipse super corporis temperatura significat, non prius agnoscere possumus, quàm eius differentiam à mente & intelligentia cognouerimus. Lubrica enim est, & quæ passim confunditur, nec ullus eorum quos ego quidem uidi, recta methodo horũ discrimina inquisiuit: quippe ex officijs captare

oportet

oportet. Atque intellectus nemine refragãte animæ præcipua potentia est, atque in cerebro residet. quantum uerò ex amentia, ac demẽtia coniectari licet, huic mens in eodem loco aßidet, atque cum ipso eadem, nisi quòd intellectus ad hæc refertur quæ speculamur, mens uerò quæ operamur. nam demẽtes dicuntur qui absurda obeũt, aut loquuntur. Officia quoque animi quàm plura ex communi loquentium consuetudine cognita sunt. Nam læto, timido, forti, præcipiti, bono atque malo animo hominem dicimus, ac corde: raro uel nunquàm autem anima, aut cerebro. Ex quo constat, quòd hæc potius ipsius animi, quàm animæ aut mentis sint munera: ac iterum ipsius cordis potius, quàm cerebri. Sed quia anima omnibus his paßionibus consentit, ac in mutuos affectus transit, factum est ut aliquando nomina commutentur, & tristitia nonnunquam ad animam, plerunque uerò ad animum comparetur. Spõtanea tamen lætitia à splene occasionem ferè accipit: aliquando uerò ab affecto cerebro. hinc est quòd melancholici tristes sint: illinc uerò est, quod uulgo dicitur, Splen ridere facit: nunquàm tamen quẽquam læto splene, aut cerebro, sed corde dicimus. Vnde licet aliter in prioribus commentarijs ascriptum sit, manifestè constat, quòd lætitiæ sedes duntaxat in corde sit. Sic & aliæ ferè pleræque operationes morales, uirtutes, & uitia in corde locum obtinent. nam &

motus

motus ſanguinis in quibuſdam horum manifeſtè cor pati declarat. Concupiſcentiam tamen ad hepar Galenus refert, nec temere longius ipſam à cerebro ſeparauit, ut illius impetus, ut uehementiores ac magis corporei, rationem minus opprimerēt, aut urgerent. Malè ergo omnes hos affectus quidam in cerebro deſcribunt, quibus (ut inquit Galenus) poëtæ & pictores melius ſentiunt, qui Titio & Prometheo ob intemperantiæ uitium apud inferos hepar rodi fabulantur. Nota eſt enim de Titio fabula, quòd Iunonis concubia appetierit: & quòd Prometheus in diſtributione carnium Iouem fefellerit, ſcilicet ſibi optima ſeruarit, & Ioui oßa ſola pinguedine tecta apposuerit. Forſitan ergo hæc omnia cōtemnes, neque Galeno credes: uerūtamē Chriſtum aſpernari nephas eſt, qui homicidia, furta, adulteria, & multa alia uitia ex corde deducit, non autem cerebro. Scio quòd quædam ex ijs primum oriuntur ex hepate aut genitalibus uiſceribus: uerūtamen quia hepar magnum habet cum corde conſenſum, & quia hæc coniuncta ſunt quodam modo cum iuſtitia & iniuſtitia, forſitan ad cor retulit, forte uolūtatem reſpexit, quæ ijs omnibus moralibus præſidet, & multorum ſententia in corde reſidet. Certe fortitudo, iuſtitia cum ſuis extremis in corde ſedem habent, licet continentia & eius uitium partim hepar, partim renes inhabitent. Verum ſiue in

corde

corde uno, siue in uarijs locis habitent, qui temperatus ad amußim est, medium in omnibus ijs affectibus obtinet, nisi studio, aut consuetudine uitiatus fuerit. nam hæc adijcere Christianum philosophum oportet. ergo neq; tumidus, neq; temerarius, sed audax, & fortis: neque cunctator, neque præceps, sed maturus: neque contemptor sui, neq; inuidus, sed in bonis æmulus: nec tetricus, nec ridiculus, sed lætus, alacer: non ingratus, aut amicis plus satis indulgẽs, sed illorum amãs. atque, ut paucis dicam, temperatus moribus ex se est optimus: intemperies uerò unaquæque sua habet uitia. Calidi mobiles, uafri, uersipelles. Frigidi uerò segnes, pigri. Humidi uerò mendaces, lubrica fide, instabiles. Sicci auari, inuidi. De ijs omnibus fusius in Techna: nunc satis est aperuisse methodum, id tantum adijcientes ex hoc loco, nos facilè conuincere mathematicos, qui ex astris mores deducunt: quoniam hinc manifestum est, quòd rationem elementorum, hoc est, ipsam temperaturam sequantur.

ET prudens.

De reliquis uirtutibus moralibus, quas quidam etiam Cardinales uocant, antè dictum est: uidetur nunc cũ his Galenus numerare prudentiam: & reuera una ex quatuor est, proinde & ipsa in corde sedet: quod nunc uel ex eo patet, quia Galenus eam cum reliquis numerat: quantum autem à sapientia distat, & nos alibi diximus

mus, & uel ex hoc loco nunc facilè constare potest: quia prudentia in corde, sapientia oritur ex ipso cerebro & intellectu: morales uerò uirtutes inter irrationabilis animæ partes Galenus supputat, subinde tamen prudentia cum sapientia confunditur: & fortè nunc per σύνετον sapientem intellexit: nec refert: nam temperatißimus ut sapientißimus, ita ex natura & prudentißimus eße debet: prudentißimus quidem, quia cordis tẽperati est, quo fit ut neq; præceps, neq; cunctator sit, sed omnia agat opportunè: quòd autẽ idem debet eße sapientißimus, nusquam à Galeno est demonstratum, duntaxat à nobis paulo antè, sed obiter dictum. Ergo altius rem auspicari oportet à communi illo axiomate, quòd inter patiens & agens neceßaria sit quædam communio. nulla enim potest fieri actio, inter quæ desideratur proportio: est autem anima incorporea, corpus uerò craßum ac solidum: proinde interceßore aliquo opus erat idoneo animæ aut intellectus (ut sic dicã) internũcio. nec quicquam natura conformius excogitare potuit quàm spiritum: substãtia enim illius ambigua, quam nec corpoream, nec incorpoream poßis definire: sed qui de ea audent aliquid dicere, radijs aßimilant solaribus. Proinde qualis est spiritus, talis est anima & intellectus: talis autem spiritus, qualis sanguis: sanguis uerò eiusmodi, cuiusmodi est corpus: corpus rursum imitatur temperatu-

ram

ram: quocirca ut & intellectus conditionẽ temperamenti sequatur, est necessum. Si quidem igitur anima omnis externæ qualitatis exors sit, & reuera est: spiritum quoque, qui futurus erat illius mediator, ac quodammodo ueredarius, omnis, ut licebat, excessus expertem esse decuit, uel ob eam causam, ut singulorum differentias melius acciperet. Nam hac ratione crystalloides omni colore uacat, ne circa reliqua oberret: & si maxima paruis cõparare liceat, Deus opt. max. ut summa prudentia est, ita longè ab eo omnis qualitas semota est. ergo ut unusquisque meliorem temperiem obtinet, ita ex natura prudentior est. Nec refert quod antè diximus, cor intimum spiritus animalis esse calidum & humidum, cerebrum uerò ubi perficitur, frigidũ. nam ita totus magis attemperatur, quippe in cerebro obiter refrigeratur, nec tamen indensatur: sed quod magis est admirabile, dum in animalem uertitur, calore fortassis illic extenuatur, & non nullas alias immutationes patitur: est enim passibilis admodum. Nihil ergo admirandum, si quidem in Græcia plures Solones, in Scythia uerò unus Anacharsis: rarissima enim in regione intemperata felicia sunt ingenia. Proinde mirum est, cur Aristoteles ex natura melancholicos singulari atque eximio ingenio definierit, aut prudentia bearit: nam contrà stupidi uidentur, & ad arduas res contemperandas, aut intelligen-

das parum idonei. Fateor tamen, quòd in externis quibusdam rebus gerendis aut parandis, quæ multam phantasiam requirunt, plus poßunt quàm philosophi: non enim ad has res idonei sunt, sed bene habet quod uulgo dicitur, Vtilis foro, inutilis studio. diuersa enim sunt officia, & quæ requirant uaria ingenia. Sed de ijs in nostro quoq; Plutarcho, & alibi diximus liberalius, sed & super eadem quoque re publicas disputationes edidimus.

ET temperatissimus quidem homo ex his primum potissimumq; agnoscitur.

Primum, ut prius diximus, sese offert exterior corporis facies atque conditio: sed neque affectus animi diu latere poßunt: rectè ergo dixit, quòd ex ijs duobus primum capitur corporis tempera mentum: uerum an ex ijs potißimum temperatura sumatur, inuestigatione opus habet. Mihi quidem sic uidetur, quoniam affectus animi præsertim super corde significant uiscere principalißimo, cuius rationem magna ex parte habitus uniuersi corporis sequitur, nisi hepar obstiterit, cuius affectus quoque ex animi affectibus digno scitur. Nam concupiscentiam affectibus animi numerauimus, & tamen in hepate residet, aut certe primum initium obtinet.

ACCEDVNT nõ pauca eorum quæ ex necessitate hæc sequuntur.

Non sequuntur operationes naturales affe-

ctum

ctum animi, sed ecõtrario affectus animi potius naturales: quòd si magna ex parte inter se conueniant, non tamen necessario: nam sæpe operationes naturales iustæ sunt, morales uerò consuetudine atque indulgentia uitiatæ. & propterea difficile potest constare hæc lectio, si quidem per hæc animi affectus subaudias. fortè morales sequi intellexit naturales, non quòd sibi inuicem causæ sint, sed quòd sibi inuicem saltem magna ex parte consentiant. Verum Græca Latinis omnino non respondent: sic enim habent προσέρχεται δ' αὐτοῖς οὐκ ὀλίγα τῶν ἐξ ἀνάγκης ἑπομένων. *cuius hæc ad uerbum est interpretatio, His accedunt non pauca eorum quæ ex necessitate sequuntur. Cuius sententia mihi apparet, quòd præter duo hæc prima signa, accedit tertium, quod ex his sumitur, quæ necessariò temperamentum sequuntur: talia autem sunt, quæ capiuntur ex operationibus naturalibus, & animalibus. nam morales non necessario, ut diximus, sequuntur. Videte ergo quantum difficultatis, atq; etiamdum erroris unica aliquando pariat particula, aut adiecta, aut omissa. certè mihi particula, Hæc, est superflua.*

QVIPPE edit bibitque in modo, & nutrimenta nõ solum in uentre, sed etiam in uenis, & tota corporis mole probè concoquit. Omnesq; , ut semel dicam, tũ naturales, tũ animales uirtutes inculpatas habet.

Naturales, uitales, animales, uno uerbo in corpore temperato omnia mediocria sunt: an uerò simpliciter optima, in Techna dicemus. nam qui sicco cerebro fuerit, pertinacioris memoriæ appa ret, quàm qui temperato: sed forsitã in illo promptius marcescit. De appetitu etiam dubitatur, quomodo uniuerso corpori appetit quod satis est: non enim intelligit quantum reliquis usui futurum sit, sed suctioni aliarum partium respondet: qua ratione & in temperatis æqua appetit, nisi uoluptate uitietur, & cõsuetudine. hac enim ratione etiam eo cibo qui exuperat, capitur, ac tandem oblæditur. Est autem & hoc proprium temperato, ut nihil fastidiat, sed ad omnia mediocriter sese habeat. Sed de ijs alibi liberalius.

QVVM & sensuum facultatibus, & mẽbrorum motibus optimis sit prędítus, tum uiuido colore semper sit, tum ad perspiratum excrementorum bene cõparatus.

Videtur difficultas in sensuum facultatibus. nam pauci sunt sensus, in quibus homo non superatur ab alijs animantibus, scilicet uisu uincitur à lynce, olfactu à cane, fortaßis etiam à tigride, imò & uelocitate à lepore: uerum nihil istorum nobilitatem temperaturæ humanæ imminuit. nam hæc eadem animantia ab homine uincuntur multis alijs. Iam neque hominibus tam absolutus sensus utilis erat: non enim bene conuenißet cum reliquis operibus, nec rursum

optima

optima ſtatim ſunt quæ extrema: præcocia enim eſſe ſolent, nec admodum diuturna. Sic in melancholicis forſitan ſenſus præcociores, memoria magis pertinax, ſed minus diuturna: ita & in humidis forſitan tandem conſtat diſcendi facilitas, ſed eſt admodum ſera. Solus ergo temperatus in omnibus natiuitatem & iuſtam perfectionem obtinet: neque amplius dubitare licet, an temperatus in omnibus ſit abſolutiſsimus. nam id ex hoc nunc loco clariſsimè conſtat.

IDEM medius inter ſomnolentum & peruigilem.

Somnus & uigilia ad ſenſum communem referuntur, de quibus in libro de ſymptomatibus.

INTER glabrum & hirtum, inter nigrum colorem & album, piloſque habeat cũ puer eſt, magis rufos quàm nigros, cum in flore eſt, contrà.

Partitus eſt ſigna, quibus temperamentum captamus, quadrifariã, in phantaſiam corporis, in affectus animi, in facultates animales & naturales, ſub quibus credo uitales quoque intelligit, & nunc quarto in accidentia, inter quæ circunſcriptio pilorum eſt: quamuis & primum ſignum, quod eſt in phantaſia corporis, nõnihil ſecum ex accidentibus quoque continet. Ac de ijs paulo diligentius in Techna, ubi ferè ſingulas ætates ſuis deſcribit coloribus: inquiẽs, Talibus, cum infantes, pili ſubrufi: cum uerò pueri, ſubfla

ni: cum iam adoleuerint, flaui. Hic uerò eos definit nigros: ergo diuersas ætates accipere oportet: aut nigros hic nequaquam simpliciter, sed nigro magis quàm rufo affines. Sed hæc omnia repetemus in Techna, ubi & hoc inquiremus, cur plerunque in mulieribus, quæ natura frigidæ sunt, laudetur coma nigra, in puellis flaua: in ijs minus est admirabile, quòd harum genæ potius quàm uirorum roseo ac rubicũdo suffunduntur colore.

II. Caput. AT quoniam differentiarum, quæ ex ætate eius spectãtur, mentionem feci, non alienum sit, aliquid iam de his quoque apponere. Porrò uolebã uniuscuiusque prædictarum notarum causas persequi: uerum cum ad ea quæ nunc sunt proposita, magis urgeat ætatum consideratio, quæ etiam maximam nobis ad causarum inuentionem facultatem suggerit, huic nunc insistamus. Intelligamus igitur recens formatum animal in utero matris, quo sciamus qua ratione humidissimũ calidissimũq; sit.

Licet, ut prius diximus, in compositione nostra elementa uincant grauiora, tamen supereminet calidũ frigido, uel ob eam causam, quòd caliditatis quàm frigiditatis energia maior sit: fateor & siccitas magis actiua quàm humiditas: sed in nostra prima genitura multis modis substantia aquea superat terream: quocirca ubi

prius

prius diximus primas partes obtinere terram, hoc non oportet ſimpliciter de manifeſta illius quantitate intelligere, ſed potius ipſo pondere: quippe hoc atteſtatur experientia, æquale atq; adeo maius pondus terræ confundi à leuiore pondere ipſius aquæ, adeo ut totum euadat humidum propter ſubſtantiæ aqueæ conditionem: quæ tanto eſt terra leuior, quanto eſt rarior.

PRIMA enim eius conſtitutio ex ſemine & ſanguine eſt, quę humidę & calidę res ſunt.

Alibi Galenus membra ſolida generat ex ſemine, carnea ex ſanguine, conaturq; adducere uarias rationes: quibus illam ego adijciam, quòd ſemen ut ſiccius, ita ad generationem ſiccarum quam humidarũ partium uidetur opportunius. ac multo tempore ſtetit Galeni opinio, adeo ut uel hodie ſolida ſpermatica appellẽtur, nobis tamen in quodam ſeorſum illi dicato uolumine aliter uiſum eſt. Nam rationabilius eſt ex meliori parte, quippe ſemine, præcipua ac prima omnia uiſcera gigni, ignaua autem ex ſanguine. Nunc autem nullam diſtinctionem adhibet, ſed promiſcuè omnia ex ſemine & ſanguine generat. & quidem rectè: non enim ſeorſum in generatione noſtra hic ſtat ſanguis, & illic manet ſubſtantia ſeminis, ſed ſimul omnia permiſcentur, ac minima in unoquoque eſt portio ſeminis, maior autẽ ſanguinis, uis tamen ipſius maior eſt: quoniam,

ut alibi inquit, ſemen quodammodo ipſarum particularum opifex eſt, ſanguis autem ſequax materia. tandem ambo cõcreſcunt in unam partem, atque iam non tantum pondere, ſed & altera qualitate terra ſuperat reliqua elementa. atque hoc fortè ſpectauerunt Biblia, quæ formant hominem ex terra.

HIS autem magis ſemper ſicceſcentibus primum quidem formantur membranæ, tunicæ, item uiſcera, & ſanguinis uaſa: ultima uerò perficiũtur oſſa, & ungues, & cartilagines, cõcreta ſcilicet eorum ſubſtantia. Antè enim quàm uel tẽdi poſſit ſubiecta ſubſtantia, uel concreſcere, nihil fieri memoratorũ poteſt. Et tunicæ quidem & membranæ, arteriæque, & nerui, & uenæ, tenſa ea: oſſa, cartilagines, ungues, ungulæ, & uiſcera, coagulata ea perficiuntur.

Noli hæc conferre ad humidorum definitionem, ſed ipſorum animalium comparationem: non enim infans ſimpliciter humidus eſt, ſed ſiccus: hac puto de cauſa finitionem adiecit, Vt maris alga.

HIS uerò in utero perfectis ita deinde paritur infans. Eſt uerò adhuc in ſummo humidus ueluti maris alga, idque nõ in ſanguinis uaſis modo & uiſceribus, ac carne, ſed etiam ipſis oſſibus, quæ ſcilicet ſicciſſima ſunt omnium, quæ in nobis ſunt, partium.

tium. Verũ tum hæc, tum reliqua tota unà cum his mẽbra, quasi cerea sint, infantium nutrices fingunt formantque. Tanta est in toto puellorum corpore humiditas. Quin si recens editum porcellum uel esse, uel dissectum inspicere uelis, carnem quidẽ eius mucosam præhumidamque inuenies, osseum uerò genus uniuersum caseo, qui modo sit coagulatus, adsimile adeo, ut nuper nati animalis corpus propter redundãtem in eo humorem libens non comedas.

Vno uerbo omnia quæ ex semine sunt, à principio calida sunt & humida: quædam uerò ex ijs spatio temporis euadunt sicca, quædam uerò diu manent humida, euadunt tamen seipsis sicciora, atq; ferè frigidiora.

QVOD maximè tum suilli, tum ouilli fœtus corporibus accidit, propterea quòd ea maximè sunt humida. Caprinum quod siccius sit, & melius esui est & iucundius. Contrà uerò quàm in nouellis porcellis, quæcunque iam senuerunt, hæc ossa quidem omnia & ligamenta uniuersa præsicca, sine succo & insipida possident: carnem uerò neruosam & durã: arterias quoque, & uenas, & neruos ætatis culpa lori uice insuaues & sine succo.

Mirum ergo cur adeps ouillus citius concrescat, quàm bubulus. sed hoc prius definiuimus.

QVAE

QVAE medio statu horum, ac nuper natorum sunt, quæ utique iam ætate processerunt, quantum à senio absunt, tantum & ab extrema siccitate sunt remota. Quæ minora sunt, atque adhucdum augescunt, tantum ea quoque ab gestati etiamnum fœtus humore absunt, quantum processerunt ætate.

Intelligit ætates eas, quæ sunt inter extremā senectutem, & primam infantiam: atque hæ sunt in triplici differentia: ponit duas illarum: priori loco eas exhibet, quæ incrementum magnum faciunt, ut pueritia prima ac secunda, pubertas ipsa. Dico autem magnum propter extremam adolescentiam, quæ incrementum, sed parum suscipit. Atque hæ omnes ætates humidæ sunt, sed multum infra infantiam. Aliæ insigniter siccæ, ut iuuentus, consistens ætas, atque adeo prima senectus. Hactenus ergo omnes intemperatæ: sola extrema adolescentia temperata.

FLORESCENS uerò ætas omnium animalium maxime in medio extremorum est: neque sicut senium ad summam perducta siccitatem, neque ueluti infantium ætas in humore & multo uuido mersa.

Nescio an hic pro, animalium, possim supponere, ætatum, quoniam incongruè ætates comparantur cum animalibus. Est alia difficultas in nomine ἀκμῆς, *aut florentis ætatis. nam per hanc*

hanc & hic & alibi uidetur iuuentutem intelligere, atque hæc calida & sicca, sola extrema adolescentia temperata: patet ex tertio Aphorismorum, ubi componẽs Galenus temperatas naturas temporibus, ac intemperatas intemperatis, adolescentes cum uere comparat, ac temperatos solos putat: iuuentutem uerò intemperatam affirmat, ac nonnihil per hyemem emendatam iri sperat. Idem ex professo ostendit in libro de ratione uictus idiotarum. Proinde in hoc proposito nequaquam, ut in alijs locis, per ἀκμὴν iuuentutem, sed ipsam extremam adolescentiam intelligam. nam in iuuentute incipit remitti munus nutricationis: in sola adolescentia omnia munera obeuntur citra querimoniam. Parum autem, uel nihil querelæ ipsa iuuẽtus de se patitur: atq; omnino adolescentiæ finis cum ipso iuuentutis initio similis est. Ob hanc fortè causam nunc Galenus florentem ætatem optimam definiuit parum ab extrema adolescentia eam distinguẽs: tamen ubi exquisitè loquimur, potius adolescentiam quàm iuuentutem temperatam dicimus: ita & Celsus ipse non quidem iuuentutem, sed adolescentiam mediam posuit.

CVR igitur aliqui celebrium medicorũ humidum esse senium prodiderunt? An uidelicet quòd excrementorum abundantia sint decepti? Quippe his tum oculi lacrymis suffunduntur, tum nares destillatione

manant,

manant, tum in ore eorum saliuæ copia exuberat. Ad hæc tum tussiunt, tum excreant pituitam, scilicet pulmones quoque hac esse refertos indicantes, uenter quoq; illis pituita est plenus. Tum singuli articuli quodammodo mucosi. Cæterum nihil horum obstat quo minus senum corpora sicca censeantur, ut quorum neruos & arterias, & uenas, & membranas, & omnium instrumentorũ tunicas, multo quàm prius erant, sicciores inuenias, circumfundi autẽ illis extrinsecus intrinsecusq; aut pituitosum quendam humorem, aut mucosum.

Phantasia excrementorum decepti quidam ex ueteribus, senium in suis particulis putauerũt esse humidum.

VERVM tantum abest, ut eiusmodi signa uniuersa senilem ætatem humidam confirment, ut etiam siccam esse propè testentur. Idcirco nanq; particula quæuis siccior quàm antè uidetur: quod per caloris imbecillitatem similiter non nutritur: foris enim illi copia humidi excrementi superfluitat.

Sermo iste mancus est, lucem atque explanationem desiderat. nam rarò credo etiam quòd nusquam siccitas corpus onerat, sed sæpe liberat. Atque id est in promptu. Nam Galeno dicente, qui sicco sunt cerebro, superfluitatibus carẽt:

qui

qui humido, abundant: fereq; attestatur experientia senem siccum minus excrementitium esse, quàm humidum. Nec ualet Galeni ratio, in qua conqueritur, quòd siccum corpus difficilè insinuationem patitur: non enim malis, sed bonis succis corpus nutricatur. Omitto quòd in fine huius uictum potius quàm siccitatem horum excrementorum causam putat, adeo subinde plebeius aliquis de rebus felicius quàm Philosophus dißerit. Nam uulgò frigiditas phlegmaticorum mater appellatur, certe primas in generatione ipsorum obtinet: humiditas uerò secũdas: siccitas ergo impuritatis phlegmaticæ causa raro est, plenitudinis autem frequenter. etenim siccum corpus ægre in se nutricationem admittit, humidum autem corpus plurimum alimentum recipit, & ad nutricationẽ difflationemq; promptißimè sese habet. Puberes in exemplo sunt, in quibus ferè siccitas sola causa est, quòd semen ac sanguinem superfluum colligant. Proinde quo siccitas maior, eo pubertas præcocior. Distinctione tamen hîc una, aut altera opus est. non enim hic sermo masculos mulieribus comparat, sed tantum uiros inter se. si tamen mulieres cõferre uelis, intelliges hic quoque siccas præcocius pubescere humidis: atque de ijs abunde in tertio Aphorismorum. tam multis exemplis constat, quòd siccitas plus sanguinis, quàm humiditas in uenis colligit: at humiditas plus per se accu-

mulat

mulat atq; generat. Non est enim dubium quin calidum & humidum plus pariat sanguinis quàm siccum, uerùm eundem non diu seruat, sed corpori quamprimum agglutinat. Quòd si in calido & humido temperamento plus relinquatur sanguinis, quàm in sicco (nam id quoque aliquãdo uerum est) non est in causa, quia humidum plus aßeruat sicco, sed quia plus regignit. Non est etiam eadem humiditatis proportio calidæ & siccæ temperaturæ ad biliosam, quæ est infantia ad pubertatem. Nam infantia longè humidior est respectu pubertatis, quàm temperatura sanguinea respectu biliosæ. Alijs uerbis poßem dicere, quòd longè plus uincatur nutricatio à concoctione in ætate, quàm temperatura biliosa. Hinc est quòd mulier humida pluribus abundet mensibus, quàm sicca: etenim uirago ferè nullos habet, sed sterilis est. Quòd uerò mulier potius quàm uir mẽsibus abundet, aliud in causa est, quòd nutricatio concoctione longè sit imperfectior. atq; huius quidem causam diu inquisiui, nec tandem aliam reperi, quàm quòd nutricatio, ut quoduis aliud, sit opus caloris naturalis, nec cuiusuis, sed fortis & copiosi: atqui in mulieribus illius robur facile collabitur, quo fit ut in his statim nutricatio affatim uincatur à concoctione. sed de his alibi copiosius. Conueniebat autem id, imò neceße erat, ad nutritionem fœtus, nec tamen natura id intellexit, naturaliter fecit.

fecit. Sed nunc ad noſtrum Galenum redeamus, qui non ſimpliciter multitudinem excrementorum ſiccitatem ſequi aſſeruit, ſed ſiccam ſenectutem eſſe propè teſtari dixit, uel quia ſæpe aliter euenit, uel quia excrementorum multitudo non niſi intercedente frigiditate ſiccitatem comitatur. Non enim ſemper ſiccitatem ſequitur, duntaxat ubi ſiccitas frigiditati coniungitur.

CORPVS autem cuiuſque intrinſecus ſiccum eſt, ut quod nec trahere intrò nutrimẽtum ualeat, nec eo ſufficiẽter frui. Eſt ergo humidus ſenex non propriis ſuis particulis, ſed excrementis. Rurſum ſiccus non excremẽtis, ſed particulis ipſis. Ita nimirum alio genere ſiccus, alio humidus. Verum non eſt ad præſens de excrementis eius, ſed de propriis partibus diſceptatio, quarum ſecundum naturam propriæ actiones uitam eius complent. His igitur ſiccus ſenex eſt, quibus ſcilicet puer eſt humidus, ipſis nimirum ſolidis corporis particulis, oſſibus, membranis, ligamentis, arteriis, uenis, neruis, tunicis, carnibuſque. Meritoq; Ariſtoteles ſenium marcenti ſtirpi adſimilat. Quippe ſtirpes nouellæ dum ſunt, molles, humidæq; cernuntur, ſeneſcentes aſſiduè magis ſicceſſere uidentur. Ad poſtremum aridæ prorſus redduntur, idque ipſis mors eſt. Ac quod ſicciſſima æ-

tatum ſenilis ſit, ex iam dictis liquet. Quòd autem & frigidiſſima ſit, id uel magis eſt euidens, ita ut de eo nemo dubitauerit. Nã & tangenti ſenes frigidi apparent, & facile in frigidum ſtatum mutantur. Et nigri & liuidi fiunt, & frigidis morbis facilè capiũtur, apoplexia, neruorum reſolutione, ſtupore, tremore, conuulſione, deſtillatione, raucedine. Porro perijt eorum paulo minus ſanguis, eóque unà perijt & coloris rubor. Iam uerò cõcoctio his, & digeſtio, & ſanguificatio, & appoſitio & nutritio, & appetentia, & ſenſus, & motus obleſa omnia ſunt, uitioſeq; adminiſtrata. Et quid quæſo aliud eſt ſenium, quàm uia ad interitum? Itaque ſi mors naturalis caloris eſt extinctio, utique ſenium ueluti tabes quædam eius fuerit.

Sententia eſt, quòd externa pars prædictarum particularum humiditate quidem externa imbuitur, ſed interna omnino exareſcit: adeo ut nec trahere, nec recipere nutrimentum poßit. Veruntamen quòd non trahat, potius in cauſa eſt intemperies frigida, quàm ſicca. Videtur autem ipſe non hoc tantum ſimpliciter dicere, ſed cauſam quoque reddere, cur humiditate quantumcunque excrementitia partes non diluantur, aut imbuantur, ex eo quòd tãtum foris hæc humiditas allinatur. Non *pugnat ergo hæc particula*

ticula cum priore, ubi extrinsecus atque intrinsecus circa hæc corpora, forsan uenas & arterias, humores fundi dixit: quoniam aliud est in internam eius substantiam humidum insinuari, aliud obiter dilui.

VERVM non perinde de puerorũ & florentium ætate inter medicos cõuenit. Sed nec dirimere inter eos litẽ est prõptũ. probabiles enim sunt utrorũq; rationes, tum eorũ qui pueros calidiores esse, quàm florentes ætate censent, tũ eorũ qui cõtrà florẽtes calidiores pueris esse cõtendunt.

Vnamquanque istarum rationum suo loco enodabimus. Nam Galenus quasdã ex ijs relinquit, quasdam uix obiter explicat.

ALTERI nanque ex eo, quòd sanguinis humor omnium quæ in animalis habentur corpore, calidissimum natura sit: tum quòd fœtus in utero propemodũ sanguis tantum sit: post enim fingendis utiq; iam particulis aliud os efficitur, aliud arteria, aliud uena, aliud diuersum ab his aliquid, omnia tamen rubra: tum quod sanguinem syncerissimum, calidissimumq; obtineat, colligunt calidissimum esse gestatum in utero fœtum. Quod si est, etiam pueros quãto gestatis in utero ꝓpiores sunt, tanto esse florentibus ætate calidiores.

Sanguinem copiosiorem hoc argumẽtum col-

ligit:non tamen calorem intensiorem unquam deducet:quia bilis quæ in florentibus exuperat, sanguine calidior est. Forsitan nec illud bene obtinebunt, sed duntaxat quòd uniuersum corpus sit magis humidum ac calidum.

ALTERI quòd etiam plurimus sit in florentibus sanguis, ac copiosior quàm in pueris, ita ut eius occasione crebro his sanguis profluat.

Certum est, quòd in iuuenibus, quàm pueris sanguis sit copiosior: quoniam pars eius quæ in pueris atque adolescentibus apponitur, in iuuenibus propter corporis siccitatem ignaua in uenis relinquitur:ueruntamen uiscera ac solida in adolescentibus quàm florentibus magis accedunt ad naturam sanguinis:hoc est, magis calida sunt, & humida.

QVINETIAM quòd flauæ bilis succus qui sanguine multo est calidior, plurimus his sit, propterea calidiores esse florentes, quàm pueros confirmant.

Hoc *est prægnantissimum argumẽtum. nam quòd bilis sit calidior sanguine, omnibus in confesso est.* Neque *Galenus usquam hoc argumentum enodat.* Inuenitur *autem solutio in eo, quòd ex uariis partibus hominis complexio temperatur, non tantum ex sanguine aut bile.* Nunc *ergo tametsi plus bilis sit in florentibus quàm pueris, interim multæ aliæ partes euaserunt frigidæ,*

quæ

quæ in pueris erant calidæ. Itaq; hæc bilis calidi tatem attemperare, atque uniuersum hominis ipsius temperamentum ex multis partibus conditum æquale facere poßunt, oßa dico, mēbranas, uenas, arterias, ligamenta, neruos. Prout enim hæ particulæ ficciores, ita quoque frigidiores quotidie euadunt. Nam caliditatis portio, quæ ipsis ex sanguine calidiore accedit, quo nūc nutriuntur, modica est, & à ficcitate uincitur. Est aliud hic maius dubium, unde bilis copia crescat, quando calor naturalis continuè abbreuiatur. Ac mihi uidetur, quòd corporis ficcitas calorem promoueat, ex accidenti quidem, dum humidum exiccat, quod calorem prius obtundebat.

RVRSVS illi ab ipsis functionibus, quòd tum augeantur, tum plura quàm pro corporis sui portione alimenta tum appetant, tum conficiant, ualidum esse in pueris calorem asserunt.

Hæc omnia calorem in pueris liberaliorem, non tamen poßunt ostendere ordine maiorem aut intensiorem. Iam nec illud simpliciter uerum est, quòd huius appetitus sola causa sit calor naturalis. Nam ipsa natura nostra non tantùm pro iactura alimentum postulat, sed & ad determinatam quantitatem & incrementum aspirat. Hoc autem utcunque in ipsa adolescentia, magis in pueritia desiderat.

HI cõtrà humiditatis occaſione potius quàm caloris ui illos augeri contendunt.

Mala eſt hæc aſſertio. Nam licet magnũ momentum obtineat ad corporis incrementum humiditas, principalis tamen artifex eſt naturalis caliditas: ſecus mulier magis promoueret, quàm uir.

IN concoctione non modo florentes non uincere, ſed etiam longè ab ijs pueros uinci. nam & uomitiones ijs ex incoctis cibis accidere.

Non eſt uomitio infelicis concoctionis in pueris ſignum, ſed inſolentioris duntaxat uitæ. Non etiam uno uerbo dici poteſt, an in pueris, an in florentibus concoctio ſit potior: ſed in pueris eſt melior, in florentibus ualidior. Nam ij duriora, quàm illi concoquunt. Sanguis quoque abſolutè iuuenibus quàm pueris eſt copioſior. Veruntamen iuxta proportionem puſilli corporis, pueri plus ingerunt ac concoquunt florentibus.

ET deiectiones humidas aſperasq;, & à ſucco alienas.

Duplex uidetur exiſtimaſſe genus excrementi, quòd concoctionem imperfectam arguit, humidum & ſiccum. Verùm ego neſcio quomodo iſta ſibi inuicem conſentiunt. Nam contraria ſunt, & in cruditatibus uentriculi potius humida deijciuntur, quàm aſpera. Credo ergo quòd per alienas à ſucco intellexerit eas, quæ nondum

tranſierunt

transierunt in succum, quem concoctio molitur: quamuis alioquin sint dilutæ: tales deijciuntur in lienteria. inæquales enim ipsarum partes, altera humida, altera dura, omnes autem crudæ & malæ, quia ubique inæqualitatem damnat Hippocrates.

QVOD si appetunt plura, nihil id facere ad caloris robur. Primum enim id nõ accidere caloris copia, ut animal appetat plura, imò contrà refrigeratis scilicet his partibus, quibus appetentia debetur.

Id falsum est, non enim naturalis appetitus pro frigiditate intenditur: sed potius pro ratione difflationis extremarum partium augetur.

DEINDE quoniam non tantum ad nutritionem, sed etiam incrementum alimenta moliuntur: idcirco etiam pluribus nutrimentis ijs opus est.

Id unum est ex mirabilibus, quòd in pueris ultra id quod difflatum est, etiam aliud appetitur, quod corpori incrementum promoueat. Pendent autem omnia ex eodem principio: quòd non tantùm qualitas à natura expetitur conueniens, sed etiam quantitas: non tamen perpetuò pueri esuriunt, donec omne incrementum acceperint. Nam & ij suo pondere obruuntur, atque tandem grauãtur. Itaque paulatim sibi molem adijcere satagunt.

IAM uerò reliquis functionibus uni-

uerſis etiam nō obſcurè inferiores eſſe pueros his qui florente ſunt ætate, ut qui nec ingredi, nec currere, non portare, nec quicquam in ſumma agendorum operum ſimiliter obire queant. Cum florentibus tum ſenſum omnem, tum intellectum ad ſummam perfectionem bonitatemque perueniſſe dicunt.

Hæc quoque potius ſiccitatē, ac firmitatem organorum, quàm caloris ſequuntur copiam.

IN ſumma puerū adhuc imperfectum eſſe, florentem animal perfectum.

Hoc loco manifeſtè florētes iuuenes appellat, alibi autem adoleſcentes, tam lubrica eſt illius ſignificatio.

IN perfectis rationabile eſſe maximè actiuum, maximeque princeps elementorum præpollere.

Phantaſiam quidem ueritatis habet hoc aſſumptum: techna autem in eo eſt, quòd pluribus non autem uno tantum obeuntur animalia munera: ſcilicet non in una, ſed in altera oppoſitione, quæ inter humidum & ſiccum eſt, mediocritatem requirit ipſorum perfectio. ratione autem huius euenit, quòd in pueritia flaccida, in iuuentute ſolida ſint pleraq; officia. Ac reuera iuuentus pueritia perfectior, adeo ut à quibuſdā temperata æſtimetur: nā ex calore utrobiq; eadem eſt æqualitas, ſed in iuuenibus maior ſiccitas: itaq;

itaq; temperata sola adolescẽtia: quippe tametsi omnia alia munera in iuuenibus obeantur, tamen minus alacris ipsa nutricatio.

QVIN somno quoque plurimo deditos pueros uidere licet, contrà florentes minimo esse contentos. Quanquam hunc quoque aliter accidere, ne uel insanũ quidem hominem censere aiunt, quàm calido uicto quodammodo grauatoque humoris copia, ueluti tum ex temulentis intelligere licet, tum ijs qui balneo liberalius sint usi.

Non tam ratione frigiditatis, quàm humiditatis somni multitudo his accidit, quæ somni prima causa est. Confert ad hunc etiam non parum uaporum ad caput relatorum copia, quæ alimenti ferè sequitur proportionem.

ITA uerò & papauer somniferũ esse, & mandragoram, & lactucam, & omnia quæ humidiore frigidioreq; tẽperie sunt.

Si exquisitè loquamur, potius hæc soporem inducunt: diligenter etiam hunc locum discernere oportet, ne posteriorem partẽ orationis ad priorem referas, quam ad lactucam tantum comparat. Hæc enim humida est, reliqua uerò sicca, nisi intelligas de pomis mandragoræ, & folijs: sed & ipse succus papaueris, atq; adeo ipsum semen siccum est, non autem humidum.

AC tales quidem de propositarum æta

tum temperie rationes utrinque afferuntur. omnes enim recensere superuacuum uidetur. Cum forma ipsa epicherematum uel ex ijs quæ retulimus, satis clarè perspici posit. Eminus enim utrique fermeque à secundis priora colligunt. Ac tanquam iam sciat auditor quemadmodum auctio, quẽadmodũ nutritio, quẽadmodum cõcoctio fiat, uerba faciunt. Simili modo de sensu, de motu, de functionibus, tũ naturalibus, tũ quæ agi sunt idoneæ, disputant. De somni quoque generatione, & ciborũ natura mẽtionem faciunt, quorum nullũ simplex prõptũq; cognitu est, sed & multã disquisitionem requirit, nec potest fortasse ulli compertum esse, nisi qui prius humidam, siccam, calidam, frigidamq; temperiem sciat agnoscere. Quicquid enim eorum ueluti scientes dicũt, id si docere eos cogas, prorsus disputationem de temperamentis, hanc scilicet cui nunc insistimus, desiderabunt. Quare per mutua & ex mutuis fiunt ijs demonstrationes. Ex ijs quidem quæ nunc quærimus, ceu iam sint cognita, cum de actionibus disputant, & ciborum, ac medicamentorum facultates inuestigãt, ac de somno & alijs id genus disserunt. Rursus autem quæ nunc sunt proposita per illa, ueluti prius iam nota, demonstrant.

monſtrant. Ego uerò eiuſmodi demonſtrationes non probo: quin ſi fateri uerum oportet, nec demonſtrationes eas cenſeo, ueluti diffuſius in alijs oſtendi, ſatiusq́ue eſſe in omni docēdi genere exiſtimo ordinem conceptionum definire. Si igitur principium, omnis quę de temperamentis ſuſcipitur, diſputationis tractatio de elementis eſt, ſint'ne ea impatibilia, prorſusq; mutationis expertia, an alterari mutariq́ue potentia, ab illorum uerò cognitione ſecunda deinceps eſt propoſita nunc diſputatio: non utique ſumenda eſt iſtorum fides ex ijs quæ nōdum ſciuntur, ſed ſicuti tum rectum eſt, tum uero iuſtum, quod ſumendum ad demonſtrationem eſt, uel euidens aliquid ſit oportet, uel quod prius fuit demonſtratū. Non eſt igitur neque de ſomni generatione mentio facienda, neque de concoctione, neque auctione, neque de alio id genus ullo, ſed ab ipſa ſola nudaq́ue ſubiectarum rerum ſubſtantia diſquiſitio ineunda, ſicuti in primo libro fecimus.

Vtraque ſecta ſuos peculiares errores habet: peccant autem in eo communiter, quòd à poſterioribus priora colligunt, ab effectibus cauſas, ab operibus qualitates. id tamen Galenus in Techna, & alibi facit: quinimo & hominem temperatum ex mediocritate functionum definit,

nit, nec aliter interiorum uiſcerum naturam agnoſcere poßumus: ſecus eſt, ubi exteriorũ aut etiamdum in uniuerſum duorum corporum, ubi exteriora cum interioribus (ut nũc ſupponitur) proportionem ſeruãt, comparationem facimus. Horum enim differentiæ optimè & ſecurißimè tactu accipiuntur: atq; in ijs ſic ſeipſum Galenus dicendo abſumit, ut neq; hic, neq; paulò pòſt noſtra illuſtratione egeat.

QVIPPE ſtatuentes aliud eſſe quod energia ſiue actu ſit, aliud quod poteſtate: de eo quod actu iam calidum, frigidum, humidum, ſiccúmue ſit, prius diſſerendum eſſe diximus; ſubinde ad ea quæ poteſtate ſint, ueniendum. Porrò eorum quæ actu calida, frigida, humida, ſiccáue ſint, obuia promptaq; omnibus cognitio eſt, utpote quæ tactu diſcerni queant, qui ſcilicet & ipſum ignem calidum eſſe docuit, & glaciem frigidam. Quòd ſi alia quapiam ratione notionem agnitionemq́ue calidi frigidíue habent, dicant hãc nobis. Inauditam enim ac nullius effectus ſapientiam promittunt, imò ſi uerum fateri licebit, ſtuporem potius, ſi rerũ ſenſibilium alium quempiam habere ſe iudicem meliorem putant, quàm ipſe ſit ſenſus. Atqui ſi eorum quæ actu calida ſunt, alius eſſe iudex q̃ tactus nullus poteſt, tangant iam deinceps multos

tos uiros, tum ſenes, tum adoleſcentes, tum pueros, tum infantes. Ita enim inue nient qui magis minúsue calidi ſunt. Sin de rebus ſenſibilibus rationales demonſtrationes quærunt, iam de niue ipſa inquirendum eſt, cenſendáne ſit, ſicut omnibus hominibus apparet, candida, an ſicut Anaxagoras aſſeuerauit, non candida. Iam uerò & de pice ſimili modo coruoq́;, ac reliquis omnibus æſtimandum. Neque enim ſi non habenda eſt oculis fides de albo quod uidẽt, de nigro ſine demonſtratione fides eſt habenda. Omnia igitur quæ ſenſui apparent, ſi iam fide carere dicunt, nec olorẽ eſſe albũ dicant, niſi prius id uiderint ratione, imò nec calcẽ, nec diem, nec ſolem. Ad eundẽ modũ & de uoce auribus fidẽ abrogent, & de odore naribus, & de omni tãgibili ipſi tactus ſenſui.

Sunt tamen quædam, de quibus dubites, an actu, an poteſtate calida definias. Nam (ut prius diximus) neſcias an aues calidas dicas, quia dum uiuerent erant calidæ, uel quia more mellis & uini in calidum uertuntur promptè.

ET nónne hæc ſunt Pyronis hæſitatio & nugæ immẽſæ? Sane æquum fuerat, eos qui optimam ſectam in philoſophia elegiſſent, quæ ſcilicet calidum, frigidum, humidum, & ſiccum principia & elementa

ſtatuit,

ſtatuit, non intantum deſciuiſſe à uiris qui hæc poſuerunt, ut quòd omnis demonſtrationis principia ſunt, quæq; ſenſui, quæq; intellectui ſũt manifeſta, nõ cognoſcerẽt: & profecto quiſquis de his addubitat, fruſtra de aliis inquirit, utpote ne quidem unde ſit incœpturus quicquã ſibi relinquens. Vnde igitur in tã diuerſam uiã diuerterũt, ac ſenſibilium rerum cognitionem ratione conſequi tentarunt? Ego ſanè ne cogitare quidem poſſum. Eoque quod actu calidum eſt, tactu iudico.

Hic annis ferè nonaginta pinxit, deinde Anaxarchi philoſophi diſcipulus de omnibus dubitauit, nihil certum aſtrinxit, neq; uidere, nec audire ſe quicquam credidit, omnem demonſtrationis uim abſtulit: nam demonſtrationis principia per ſenſum colliguntur: hoc eſt quod paulò obſcurius dixit, Quæq; ſenſui, quæq; intellectui ſunt manifeſta. ubi tantum hoc uoluit, principia demonſtrationis tam ſenſui, quàm intellectui eſſe cognita.

SI quid autem adhuc calidum non eſt, ſed ut tale fiat eſt idoneum, quod utique calidũ poteſtate appellamus, id ratione inueſtigare conor: ij uerò omnia neſcio quo pacto ſubuertũt, & in argumentis prolixè rhetoricãtur. Sed hos mittam⁹, illius tamẽ nunc minimè obliti, quòd unum prauorum

rum dogmatum principium sit, nihil de demōstratione prius meditatum simul res ipsas inquirere. simul ueluti sciente, quidnam demonstratio sit, demonstrare tentare. Denuo igitur ad propositum reuersi, calidum quod in ætatibus cognoscere cupimus, primum & maximè tactu dijudicemus.

Medicamentorum facultates captantur experientia: sed ad hanc experientiam multiplex prærequiritur ratio. hæc est causa, quare nunc eas potius ratione quærit, quàm sensu discernit.

ERIT autem optimum iudicium in uno eodemq; unius infantis corpore. Potest enim & qualis calor illi ante biennium fuerit, in memoria reponi, & qualis nunc sit post duos fortè uel tres interpositos annos. Si nanque mutatio omnino ulla ad calidum frigidúmue infanti facta uidebitur, nullum præterea negotium erit, qui usque ad florentem ætatem futurus excessus sit, colligere. Quòd si plures puellos pluribus conferre florentibus ætate uelis, graciles gracilibus, quadratos quadratis, & crassa crassis conferes, æque uerò & qui colore, & reliquis omnibus (quoad fieri potest) similiter se habeant. Quippe si differentiam in ætatibus inuenire studeas, in similibus quàm maximè licet naturis eam inqui

inquiſitionem tutius facies. Porrò in contrarijs naturis hanc diſquirere non parui erroris eſt occaſio, cum interim non tam exploratorum corporum ætatis, quàm naturalis temperamenti gratia differentia exiſtat. Ad eundem modum, tum uictu uniuerſo, tum temporum quibus exploratur ſtatu, pari modo ſe habentia corpora eliges, non exercitatũ requieto comparans, non balneo uſum eo qui non ſit uſus, non ieiunum ſaturo, nõ ſitientem ebrio, non eum qui ſole incaluit ei qui ex frigore riget, non eum qui uigilauit ei qui dormiuit, nec denique eos quibus contraria eſt natura, uel uictus ratio, uel quælibet rerũ circunſtantia. Sed reliqua omnia ſint quàm fieri licet paria, una ætate excepta. Pari modo ſi unum eundemq́ue puellum cum ſeipſo conferes, omnes eius externas circunſtantias ſimiles ad unguem ſeruabis, quo ſcilicet ſi qua harũ alicuius cauſa in calore & frigore differentia contingit, ætatis mutationi non imputetur. Longã tibi experiendi rationẽ fortaſſe tradere uideor, ſed planè ueriſſimã, atq; ex ipſa rei quęſitæ eſſentia deſumptã, ſicut in his quæ de demõſtratione ſcripſimus, à nobis eſt proditũ. Tu uerò fortaſſe compendiariam uoles, minime curãs ſi falſa ſit. Sci

to

to ergo non solum falsam te, sed etiam longam ingressurum uiam, neque tribus quatuórue annis quod requiris inuenturum, sed tota uita in ignorãtia uersandũ. Quantum enim accipi ex memoratorum uirorum controuersia licet, non est quod putemus clarè aliquid demonstrari posse. Sed nec rationabile omnino est, ex ijs quę posteriora sint, ea probari quę sunt priora. Ergo calidum frigidumq́ue corpus, quod saltem actu, nec adhuc potestate tale sit, sensu iudicemus, misso nunc tum priorum iudicio, tum reliquis omnibus notis. Et etiam ceu recte iudicaturum ad ipsam experientiam remitto. Meum autem iudicium ipse interpretabor. Complura enim deinceps corpora nõ puerorum modo, uerum etiam infantium, adolescentium, & ætate florentium curiosè tãgens neutros uera locutos inueni, nec eos qui absoluto sermone calidiorem, nec eos qui frigidiorem esse florentem ætatem quàm puerilem dixerunt. Si enim reliquis omnibus quæ extrinsecus adueniunt alterationibus circũcisis, eas quæ ex sola ætate proueniunt differentias æstimaueris, neuter absolutè loquenti uidebitur tibi calidior.

Tanta fuit Galeni autoritas, ac fides, ut ferè omnes huic sententiæ suæ subscripserint: atque

calorem puerorum cum florentibus æqualem aſſeruerint. Oportet tamen ab hoc ſermone excipere immodicè frigidos, & humidos. Nam de ijs ipſe dixit in primo libro de ſanitate tuenda, quòd horum calor in iuuentute emicat: id quod ſciam nemo ante nos animaduertit, aut cauſam eius reddidit. Suſpicamur autem eam eſſe, quia in frigidis & humidis calor modicus eſt: in frigidis enim quodammodo extinguitur, at in humidis ſtrangulatur. Nec poteſt quæuis copia caloris in pueris qualitatem penſare, in iuuenibus duntaxat, quæ proportionem obtinet. Non eſt ergo mirum, ſi in calidis & temperatis copia qualitatem æquet, in alijs paulatim calor frigiditatem ſuperet: atque hac quidem ratione horum calor creſcit, aliorum manet æqualis. Nam ut quædam partes fiũt calidiores, ita uiciſſim quædam frigidiores, ac ſic rurſum fit quædam compenſatio.

QVIPPE diſſidẽt eorum calores qualitate, quæ ex imparitate flatus creatur. Cuius rei occaſione nonnulli uel eos qui ſecum uerſentur, uel ſeipſos fallentes, alij puerorum, alij iuuenum calorem ualentiorem eſſe autumãt. Eſt enim puerorum calor magis halituoſus & copioſus, & tangenti blandior. florentium calor ſubacre quiddam habet, ac non ſuaue. Hæc igitur tangenti occurſus differentia, plures inducit

cit,ut florentium corpus calidius esse pronunceient. Res uerò aliter sese habet. Quippe qui in uaria materia tactum suum ad calorem tum ualentiorem, tum imbecillio-rem,tum parem discernendum exercuerit: huic non dubito puerorum calorem florentium calori uel parem, uel ampliorem uisum iri. Est porrò exercendi ratio hæc: Incipiendũ enim ab eo quod euidens maximè est. Balinearum aër ita est aliquando calens,ut nemo eam ferat,sed uri in eo uersatus uideatur. Aliquando ita est frigidus, ut sudare in eo non sit. Iam tertium quoque & ab his diuersum,quem utique maximè requirimus temperatum aëris statum, quid refert dicere?ijdem tres caloris status in solij quoq; apparent aqua. Quippe quæ & calida adeo ut urat, & frigida adeo ut ne calefaciat quidem, & temperata adeo ut calefaciat modicè, sæpe cernitur. Ergo si te,uter sit calidior, perconter, aquáne temperata,an aër temperatus, neutrum dicere possis. Cum enim ambo similiter corpori blanda sint,& mediocri temperie, alterum eorum dicere calidius esse, alterum frigidius,nulla dici ratione uidetur. Iam si intelligas aquam labri ea esse caliditate,ut ferueat,aut aërem balnei prorsus inflammatum,ab utroque te pari modo deuren-

dum constat. Rursum si aquam ita intelligas frigidam, ut procul à glaciando non absit, aut aërem prorsus refrigeratum, sicuti cum ningit, conspicitur, patet quòd utriusuis occursu pari modo refrigeraberis rigebisque. Ergo summum tum calorem, tum frigus similiter in aqua, similiterque in aëre finge: præterea medium amborum extremorũ statũ simili modo in utroque constitue: hoc casu, quod in medio interuallo extremorũ, & medij status tũ in aëre tum aqua est, easdem excessus distãtiæque rationes habebit. Tantoque dices alterum mediocri esse calidius, quanto alterum. Ad eundem modum & frigidius quàm mediocre, tãto esse aquam aliquando dices, quanto & aërem: tametsi suus utriusque occursus tangenti idem non sit utrique. Neque enim simili modo aqua temperata sicut aër temperatus tactũ afficit. Et quid opus est, in tam dissimilibus exemplum proponam? cum ipse aër, qui simili sit calore, uarie tangenti occurrat, prout aliàs ueluti caliginosus, & halituosus, aliàs ueluti fuliginosus, & fumosus, interim purus omnino est. Igitur in pluribus ijsdemque differẽtibus æqualitas caloris consistit. Quæ inconsideratis quasi inæqualis sit, imponit, propterea scilicet, quòd non undequaque similis

apparet

apparet.

Vera aſſerit, ſed iuſtior eſſet cõparatio duorum poculorum, quorum alterum plus haberet aquæ calidæ, alterum minus, ſed magis feruentis. eſt autem ambobus exemplis opus. nam Galeni exempla oſtendunt, quare calor in iuuenibus ſit acrior. noſtrum uerò apertè docet, quòd ex ea comparatione partium utriuſq; calor ſit æqualis.

CAETERVM homo qui rationes quas propoſui, expenderit, & ſenſum in multa particularium experientia exercuerit, is nimirum æqualitatem caloris in pueris florentibusque inueniet: nec eo falletur, quòd alter in humida, alter in ſicca ſubſtantia repræſentetur. Quippe lapis aliquando pari cum aqua calore eſſe poteſt nullum eo faciente diſcrimen, quòd lapis ſiccus ſit, aqua humida. Ita igitur mihi cũ pueros, iuuenes, adoleſcentes millies conſideraſſem, præterea eũdem infantem, puerum, adoleſcentemque factum, nihilo calidior uiſus eſt, nec puer quàm ætate florẽs, nec ætate florẽs quàm puer. Sed tãtum (quemadmodũ dixi) in pueris magis halituoſus, & multus, & ſuauis, in florentibus exiguus, ſiccus, nec ſimiliter ſuauis eſt caloris occurſus. Siquidẽ puerorũ ſubſtãtię, utpote humidæ, multũ foris effluit, florẽ

tium ſubſtantiæ parum, ut pote ſiccæ.

Inæqualis caloris ſubſtantia diuerſi caloris ſuſpicionem ineruditis præbuit. Nunquàm enim calor in ſicca ſubſtantia, atque humida eundem ſenſum exhibebit, fortaßis in aqua, & labro ipſius aquæ, aut etiam iniecto ferro. Nam quod magis miraberis, neq; aëris & aquæ aut etiamdum paluſtris & ſyncere, eadem phantaſia: tantum abeſt, ut aëris & aquæ idem ſenſus appareat, etiã ſi calor in ijs omnibus maximè æqualis eßet, ſed erit in altero ſuauior, in altero acrior. Ratio diuerſitatis in alijs prompta eſt, ſed in aëre & aqua latet. Sumitur autem ex eo, quòd aqua ſubſtantiæ denſioris ſit, aër uerò rarioris. Sic res ſeſe habet in iuuenibus & pueris. acrimonia ergo ſubſtantiæ inæqualitatem oſtendit, ſed ordinem caloris non intendit, prӕterquàm in medicamentis. hic enim ferè acria amaris ſunt calidiora. Quòd ſi forſitan alibi Galenus calorem puerorum maiorem dixit, liberaliorem intellexit: ſin autem, alibi contrà ipſorũ iuuenum, acriorem uoluit. ita enim aliquando appellatio uſu uenit. Sed cur ergo iuuenes hyeme quàm uere melius (dicente Galenò in tertio Aphoriſmorũ) habent? Credo ſanguinis caliditatẽ hic reformidauit, quæ hyberno aëre caſtigatur, licet totius corporis comparatione calor cum eo qui in puero eſt, compenſetur.

ITAQVE neuter eorum ſimpliciter uidetur

uidetur altero calidior, ſed alter multitudi ne eius quod difflatur, alter acrimonia. Quippe inſiti caloris puer plus habet, eiúsque blandioris, ſi modo ex ſanguine & ſemine ortum habet. In ætate florentibus exiguus & ſiccus, nec ſimiliter ſuauis tangenti calor occurrit.

Galenus in hoc loco non ſolum calidum, ſed & calorem in puero maiorem dixit: quod in primo Aphoriſmorum, & primo hoc libro reformidauit: & reuera alterum ex altero ſequitur. Sunt ergo quædam partes in iuuene, quàm puero calidiores: ſed rurſum in puero frigidæ ſunt pauciores. Itaque qualitas copiam penſat. Idem exemplum foris ſtatuit, qui duo pocula cogitat, atq; in utriſque quidem æqualem frigidæ menſuram infundit, ſed huic plus aquæ calidæ miſcet, ibi uerò minus, ſed magis feruidæ. fieri enim poteſt, ut hoc modo utrunque poculū ſimiliter ſit temperatum. Nam forſitan tantum uirium obtinent duæ unciæ aquæ feruentis, quantum tres ſimpliciter calidæ. Eodem modo ſanguinis in iuuene feruor penſat atque æquat calorem pueri, qui ſequitur copiam calidi, & econtrario. Quare cum dicitur, Quantitas non promouet gradum in impermiſtis: id intelligitur de rebus omnino eiuſdem qualitatis.

ERGO calidi frigidiq; corporis ſolus tactus eſt iudex. Humidi autem & ſicci unà

cum tactu ratio.

Siccum & humidum obſcuram energiam obtinet, idcirco non compræhendit tactus humidū aut ſiccum immediatè aut per ſe, quemadmodū calidum aut frigidum: ſed intercedente duro aut molli. aliquando autem durum, & molle per accidens: aliquando autem per ſe: atque id tactus non capit, ſed ſola ratio diſtinguit: quapropter interim tactus fallitur, dum id quod durū eſt, ſiccum indicat. Eadem ratione de aëre dubitat: nam neque ſiccus durus, neq; humidus omnino mollis eſt: uerum ubique promptè diſcernit calidum à frigido.

Quippe quod ſiccum eſt, durum prorſus eſt: at hoc tactu omnino dignoſcitur. Non tamen ſi quid durum eſt, idem ſtatim & ſiccum eſt. Etenim inſeparabilis à ſicco duritia eſt. Non tamen eius unius propria. Nam & quod à frigore concretum eſt, durum cernitur, ſicut glacies. Quo utique minus ſicci humidique adeunda ſtatim diſcretio eſt, antè ſcilicet quàm æſtimatum ſit, quemadmodum in calore ſeſe habeant, & frigore. Neq; enim ſi quid cum ſummo frigore repræſentatur durū, id etiam ſiccum eſt: nec ſi quid cum uehementi calore eſt molle, idem ſtatim eſt humidum.

Quod non ſequitur, Durum eſt, ergo ſiccum eſt. & rurſum, Molle, ergo humidum, ipſe dixit.

Vide

Videtur autem & opposita pars periclitari: nec enim statim si quid humidum, molle est. nam multa humida frigore concrescunt in duritiem: aut rursum, si quid siccum, idem durum. Nam in cera calore eliquata, nequaquam respõdet humiditas mollitiei: quippe & ferrũ, & alia quædam sicca funduntur, & humida congelantur. Rimosa ergo est hæc dictio Galeni: aut audire oportet, si quid phantasia siccum est, durum est. ita enim & hoc dicere poßis, si quid actu humidum, statim molle est. nã neque lutũ congelatũ, actu humidum: neq; cera liquida, actu sicca.

VERVM cũ mediocriter est calidum, tum æstimare durúmne an molle sit, oportet. Si enim molle sit, humidum est: si durum, siccum.

Hic est primus modus definiendi humidum. cognoscitur autem secundo penes fluxilitatem. Nam quò aliquid fluxilius, eò ferè humidius: quò uerò constantius, & solidius, eò siccius. & iterum, quod promptè liquatur, humidum: quod promptè cogitur, siccum est. Hæc tamen non ubique perpetuitatem obtinent, quemadmodum in fine primi distinximus.

VERVM si hæc ita se habent, partium quæ in humano corpore sunt duræ, nulla est humida. Neque enim tanta esse in eo frigiditas potest, ut aliquid in ipso cõcrescere in duritiẽ queat. Potest enim quod prius

fluxile, aliquando concrescere, ueluti adeps.

Sicuti prius satis duriter incidit in distinctionem ætatum, ita nunc satis obliquè in discrimina ipsarum partium. Veruntamen ordo satis exigebat, ut quum definiret hominem temperatũ, ostenderet illum non quidem in omni ætate, sed præcipuè in ipsa adolescentia talem esse, ratione cuius & aliarum intemperamenta perstringere potuit. Ita & nunc dum uult distinguere temperatum atque intemperatum hominem ex suis partibus, postulabat natura rei, ut primum illarum proportionem describeret.

QVOD enim oleosum in sanguine, fluxileq́, & pingue est, ubi in frigidum uenit locum, cogitur: durum tamen ne sic quidem efficitur.

Potest & reliqua pars sanguinis concrescere, præsertim quæ crassior est, & magis biliosa, adeò ut fibris exemptis concretionem non patiatur, sed in adipem sola ea pars conuerti potest, quæ oleosa est.

COMMODE igitur dictum ueteribus est, humidissimam esse adipem.

De adipe quæ in priore libro diximus, hic nolim repetere: tantum oportet hic admonere, eius adipis, quæ sub cute est & sub uentre, eandem à Galeno definiri materiam: tamen distinxerunt neoterici: & reuera magis humida apparet, quæ

circa

circa uẽtrem. nam facilius ſoluitur atque liquatur. Proinde recentiores demiror, qui adipem econtrario ſicciorem putant, non ob aliam cauſam, quàm quia magis eſt friabilis. hac enim conditione adeps etiã ipſa carne eſſet ſiccior. Quòd ergo adeps circa uentrem ſit maximè humidus, ſatis conſtat. Verùm ego neſcio quomodo hoc obtinebit Galeni deductio: fortaſſis potius perpetuam orationem facere intendit, quàm concludere. Poſſumus & ſic comparare, Inter particulas ſolidas ſola adeps ex concretione naſcitur, ergo eſt humidiſſima.

SECVNDO poſt eum loco carnoſum genus.

Diligenter & ſolicitè hic locus audiendus eſt, ut ſub carnoſo genere cerebrum comprꝫhendamus: quin & ante cerebrum oſſium medulla locari debet. Sed de hac poſtea: quippe & ſpinalem medullam multis carnis ſpeciebus Auicenna præpoſuit.

EIVS plures ſunt ſpecies: prima quidem quæ propriè caro appellatur, quam ſcilicet nuſquam in corpore inuenies per ſe, ſed eſt perpetuò muſculi pars. Ab hac cuiuſque uiſcerum propria ſubſtantia eſt.

Exquiſitius mihi uidetur diſtinguere Auicẽna tres carnis ſpecies: carnem muſculoſam, carnem ipſorum uiſcerum, & glanduloſam, atque hæc poſt cerebrum primum locum occupat. nam

perpetua

perpetua ferè madet humiditate: sequitur caro simplex nomine: inter has humida est musculosa. nec refert quòd caro musculosa cocta uidetur humidior, quàm ipsa uiscera. Nam & quædam dulcia euadũt, quædam amara: sic & quædam interna uiscera, dum elixantur plus minus, omnem succum amittunt: at caro musculosa mollis efficitur, & quodammodo glutinosa. Non licet ergo te ex conditione ea, quam per decoctionem obtinet, ipsorum naturas æstimare. Est tamen & illud uerum, quòd hepar coctu facilius sit, quàm cor, idq́; ob natiuam illius humiditatem: sed & rursum quædam ob siccitatem sunt concoctu faciliora, & econtrario humida duriora. Sic caro quorundam animantium eò cõcoctioni paratior, quò paulò antè exercitium & famem tulerunt maiorem.

EAM Erasistratus parenchyma uocat, quasiq́; pro re parua leuique habet, parum intelligens cuiusq; uisceris actionem huic carni acceptam referri. sed horum non est nunc tempus.

Erasistratus sanguificationem potius uenis hepatis, quàm ipsius carni acceptam referebat: at cõtra uenæ accipiunt suã uim ab ipsò hepate.

QVÒD autem ipsum cerebri pulmonisque proprium corpus proximum adipi humiditatis ratione sit, ex mollitie eius coniectare licet. non enim à frigido congela

congelatur, cum nec calore fundatur.

Non omnium uiſcerum carnes æquè humidæ. Nam primum locum hic occupat cerebrum. de pulmone eſt controuerſia, quòd nutriatur ſanguine ſicco, utpote bilioſo: periculum uerò eſt, ne non ſolum hepate, ſed & cute, forte etiam oßibus concludant pulmonem ſicciorem. nam horũ omnium nutrimentum minus bilioſum eſt, ſed hepatis, atque aliorum magis terreſtre. Iam non tantum bilioſus ſanguis ſiccus eſt, ſed & terreſtris: plus autem ſanguinis terreſtris retinet hepar, quàm pulmo bilioſus. fruſtra ergo Auicenna ob huiuſmodi argumentum, duplicem humiditatem confundit. Nam ſimpliciter Galenus poſt cerebrum & ſpinalem medullam pulmonem poſuit: nec hoc ſimpliciter dixit, ſed ratione definit, & ex mollitie colligit. Quòd tamen minus humidus ſit quàm adeps, ex eo oſtẽdit, quia ut adeps fundi non poteſt. ac tanta eget diſtinctione hæc dictio.

PROPINQVAM ijs naturam habet oſſium medulla, non eſt tamen eiuſdem generis cum cerebro & ſpinali medulla ea, quæ in quolibet habetur oſse: ſed cerebrũ & ſpinæ medulla eiuſdem ſunt generis. Reliquę omnes medullę alterius naturæ ſunt: eſt tamen humidius, ac calidius cerebrum, quàm ſpinalis medulla, atque etiam mollius.

Quod

Quòd oßium medulla humidior ſit cerebro, pulmone, ex mollitie eius coniectari licet, quæ etiã liquari poteſt. Itaque quid Galeno in mentem uenerit, dum ſicciorem eam cerebro putaret, neſcio, præſertim cum in libro de facultatibus alimentorum omnibus audientibus cerebro humidiorem aßeuerat. An fortaßis uarias medullæ concoctiones & quaſi ætates perpendit? Certe quo ad naturam oßis propius accedit, eo maiorem ſiccitatem init, atque hactenus in diuerſis forſan ordinibus numerari poßit.

PRAETEREA ipſius cerebri priores partes, tanto ſunt humidiores, quanto molliores: omnia tamen hæc cute non humidiora modò ſunt, ſed etiam frigidiora: unoq; uerbo omne exangue frigidius eſt ſanguine prædito.

Non eſt hoc temere factum, ſed quia ex priore parte egrediuntur ſenſus, ex poſteriore uerò motus: iam hic poſtulabat ſicciora, ille uerò humidiora organa. De primarijs operationibus nihil uſquam Galenus auſus eſt dicere: eſt enim uerisimile, quòd in medio ſedeant: quanquam ſint qui ſingulis ſuos locos ſcrupuloſè definiant.

PROXIMA cuti eſt mollium neruorum natura: duriores autem in humido & ſicco ſecundum cutis naturam ſeſe habẽt.

Hic locus inuerſus ſit oportet: nam in primo libro molles, non autem duros ſecundum cutis natu-

naturam ſeſe habere dixit, atque temperatos eſſe. Miror ego, quòd tam multis ſeculis hic locus lectus ſit, & à nemine Græcorum aut Latinorum caſtigatus. Nec minus miror, quòd & ipſe Auicenna neruos ſenſitiuos ſiccos poſuit: in hoc tamen laudãdus, quòd motiuos ſicciores habuit.

CALORE ab eius natura tantum abſunt, quantum cõſentiens eſt exangue corpus à ſanguine prædito abeſſe. Lienis autem, renum, & iecinoris caro tantò cute eſt humidior, quantò eſt mollior: calidior autem, quantò magis abundat ſanguine.

Calidorum & frigidorum ordinem difficilius eſt digerere. Nam in demortuo homine demortuæ partes ſimilem mollitiem ac duritiem exhibent, qualem in uiuo, non tamen calorem ſimilem retinent: ſed omnes ferè frigidæ deprahenduntur. Quare à phantaſia ipſarum, temperaturas captare oportet. Methodus autem talis eſt, quò unaquæque particula maiorem ſanguinis imaginem præbet, eò calidior eſt.

IAM cordis caro omnibus ijs tanto eſt ſiccior, quanto durior. Calidior uerò non modo his, ſed etiam omnibus planè corporis particulis. Quod etiã ſenſu clarè depræhendas licet in pectoris animalis diſſectione, ſi digitũ in ſiniſtrũ eius ſinũ immiſeris.

Hic forſitan locus Auicennam decepit, ut cor ſimpliciter, non tantum comparatiuè ſicſcum

cum diceret. at alterius in primo loci meminisse debuit, ubi simpliciter humidum Galenus asseruit.

INVENIES enim locũ hunc omniũ quæ in animali sunt, non paulo calidissimum.

Manifestè ab eo dißidet Aristoteles. nam is contrà dextrum putabat calidiorem. sed de eo postea. nunc ex eo loco satis constat, quòd ipse spiritus sit calidior ipso corde. an autem uel ipsa cholera spiritu sit calidior, uix ab aliquo definitum inuenio. Nec est quòd tactum consulas, quia in paruis differentijs laborat: omitto, quòd tenuitas substantiæ facile nos fallat, dum qualitatem illius magis obscuram exhibet. Sed neque ratio quicquam certũ apparet constituere: imò hæc parum ferre uidetur, quod humidißimum, idem sit & calidißimum: quia non in aëre, sed in igne caliditas est maxima. in mistis tamen aliter euenire potest. Ratio ergo incerta, & autoritas ambigua. quippe hanc comparationem nunc dißimulat tam Auicenna, quàm Galenus. ueruntamen quòd spiritus & bilis ambo corde sint calidiora, credo utriusque est sententia: nec pugnat cum eo, quòd cor huius sit principium, quia subinde effectus minimo accepto initio ultra suam causam promouetur, quando ad hoc idoneus est: sic sanguis feruidior fortè hepate est. Non enim hic sanguis, aut ibi spiritus tantum

natu

naturam sui uisceris imitatur, sed & materiæ suæ ex qua oritur. Calidißima autẽ est alimenti portio, ex qua spiritus, cholera, sanguis recreatur. Igitur calor ut omnis alia causa pro diuersitate materiæ uariat, ac uarios effectus edit, atq; ex frigidioribus sanguinis particulis frigidas, ex calidioribus molitur calidas, sepositis ijs quæ cũ ipsis committebantur frigidis. Eadẽ ergo est ratio in cõstitutione ipsorum oßium: ubi si quæ sint particulæ in ipsis calidæ, spatio temporis ac beneficio ipsius artificis euadunt frigidæ. Atq; id mirari desines, si tecũ cogites, quòd artifex non tantum uni particulæ comparetur, sed omnium uim habet, ac proinde singula effigiare potens, præsertim à diuino principio instructus.

AT iecinoris, lienis, renum, & pulmonis caro simplicis cuiusdam naturæ est, circa cuiusq; uisceris uenas, arterias, & neruos crescens. Cordis, simplex carnis natura non est, sed sunt in eo fibræ, quales in musculis cernimus, quibus caro circumhęret. Cæterũ nõ est idem fibrarũ genus, sed quæ in musculis habentur, neruorum & ligamentorum sunt particulæ. Cordis propria quædam fibrarum est species, æquè scilicet ut uenarum tunicæ, atque arteriarum. Itemq; intestinorum, uentriculi, uteri, & uesicæ utriusq;: licet enim in his quoque instrumentis propriam quandam uide

re carnem ſuis ipſorum fibris circumnaſcentem.

Cauſam atque utilitatem horum potes ex libro de uſu partium, atque aliunde diſcere. nos enim quæ ibi poßũt inueniri, nolumus huc tranſcribere.

ATQVE hæ quidem carnes cute ſunt calidiores: fibræ uero quàm cutis partim paulò magis, partim paulò minus tum frigidæ, tum ſiccæ ſunt: partim ſimiles omnino cutis ſubſtantiæ.

Nullæ fibræ inſigniter calidæ ſunt, atq; humidæ: ſed quædam frigidæ, quædam ſiccæ, quædam plus, quædam minus, quædam etiamdum temperatæ: nec hoc diuinamus, ſed ex phantaſia quam habent cum ſanguine, colligimus. atque hæc generatim de calidis. Digeruntur autem ſpeciatim in hunc ordinem, cor, hepar, caro ſimplex, caro muſculoſa, ſplen, renes, arteriæ, uenæ per accidens tantum. nam per ſe more membranarum frigidæ ſunt. Nunc compara calida cum frigidis, humida cum ſiccis, & inuenies hæc ab illis exuperari. Omitto quòd magnum momentum ſanguis obtinet ad uniuerſam corporis temperaturam.

PORRO omnes membranæ cute ſunt ſicciores, ueluti cerebri, & ſpinalis medullæ inuolucra, quæ menynges dicũtur. Sũt enim hæ quoq; membranæ. Iam ligamenta

ta omnia quanto cute ſunt duriora, tanto ſunt & ſicciora. Tendones quoque tametſi ligamentis ſunt molliores, attamen cute luculenter ſunt duriores. Cartilago uerò poſt ligamẽtum deinceps eſt: præterea medium inter ea corpus. Appellãt id anatomici quidã νευροχονδρώδη σύνδεσμον, quaſi cartilagineum ligamẽtũ dicas. Eſt autem id durum cartilaginoſumq́; ligamentum.

Ordinem ſiccorum melius in fine primi libri digeſtum habes. Omitto quòd hic obſcurè admodum cartilaginem poſt ligamentum ponat. nam niſi diligenter attendas, cõtrouerſum Galenum facies, qui in primo libro cartilaginem præpoſuiſſe uidetur: quapropter hic oportet intelligere, quòd cartilago poſt ligamentum minus humida ſit: ligamẽtum enim humidius eſt, aut ſi aliud uelis dicere, minus ſiccum. Hunc ordinem & ipſe Auicenna obſeruat: ſed neſcio cur in fine ſiccorum neruos molles poſuit, quando Galenus eos cum cute æquales putat.

OS uero omnium quæ cutis operit, duriſſimum eſt. At eorum quæ ex cute extant, ſicciſſimus eſt pilus.

Præter ſenſum oſtẽdit id ipſa ratio: quoniam pilus ex terreſtri fuligine, os ex ſanguine. Nõ diſplicet & altera ratio, quæ multa animantia, utpote canes, oſſibus nutriri colligit, pauca uero pilis.

DEINDE cornu, mox ungues, & ungulæ.

Est & hic ratio, quòd hæ partes nutriuntur ignauo, pili uerò fuliginoso excremento.

ET calcaria & rostra, quæq; his in singulis animalium ratione carentium similes sunt partes.

Calcaria, rostra, alterius uidentur naturæ quàm pili. Nā similia illis quæ propriè nutriuntur. ac tantum de siccis. De frigidis non ita ordinatim Galenus scripsit: nec mirum, quia ferè eodem ordine digeruntur, quo sicca. Itaq; neq; nos quicquam ascribere uolumus, tantum illud admonebimus, adipem & sebum non per se, sed per accidens ex contactu reliquarum partium frigida euadere, & tamen ipsa sua frigiditate nonnullum calorem partibus subiectis comparant.

SVCCORVM optimus, & maxime proprius, ac domesticus, sanguis est: huius ueluti sedimentum ac fex atra bilis est: quæ idcirco tum frigidior, tum crassior ipso sanguine est: sicuti flaua bilis longè calidior, frigidissimum uerò ac humidissimum omnium quæ in animali habentur, pituita est. Instrumentum autem, quo id cognoscitur, ipse est tactus, ueluti Hippocrates in libello de hominis natura monstrauit. Cæterum quòd frigida sit, unus tactus discernit: quòd uerò

rò humida quoque, pariter tactus, uisus, & ratio iudicant.

Melius est succos seorsum, quàm cum solidis numerare. non enim eadem omnino uidetur ratio: sed omnes humidi sunt, quippe tam flaua bilis, quàm atra potius potestate, quàm actu sicca sunt. Sed & cum pituitam ac atram bilem frigida definimus, genuinam, non autem accidentalem naturam ipsorum spectamus. nam affinitate atq; aliorum communione subinde reperiuntur calida aut tepida. Caue etiam ne quatuor hos humores omnino inter se more elementorum conferas. nam tametsi cholera, quæ igni respondet, sit calidißima & siccißima, non tamen sanguis qui aëri respondet, sed pituita humidißima est. Id manifestè constat ex fine primi libri. Quare obscurè Auicenna in suo canone, nescio quam humectationis distinctionem excogitauit, forsitan ut hanc suspicionem aut modum dirimeret. Est alia difficultas. Galenus dixit, quòd solo sanguine nutriantur uniuersæ particulæ: superuenit Auicenna, qui ex omnibus humoribus continenter partes nutriri aßeruit, alioquin (sic ipse Galenum redarguit) eadem eßet omnium particularum phantasia ac similitudo. Sed non urget admodum illius ratiocinatio. non enim sanguinis omnes portiones æquales sunt, sed hæ magis frigidæ, illæ magis calidæ. nõ est ergo neceße, ut partes biliosæ bilem suscipiant: nam ad nutri

mentum ipsarum magis commodus erit sanguis biliosus. Iam particulæ ipsæ ignauæ non sunt, sed calidiores & sicciores ipsum sanguinem ad se uenientem suo more, ac pro sua libidine effigiat, ac sibi assimilant, adeo ut ossa ipsum infrigident, priusquàm sibi apponant. Irrationabile etiam penitus apparet, quòd aut uiscera, aut particulæ nutrirentur ijs humoribus. Nam substantia sanguinis maiorem habet similitudinem, cum ipsis particulis fortè biliosis, quàm ipsa bilis. Proinde absurdum est potius ex bile huiusmodi particulas generare, restaurare, quàm ex sanguine. Nunquid ergo ignaui huiusmodi humores sunt, aut in corpore uacant? nequaquam, sed unusquisq; utilitatē in corpore obtinet, & alius sanguini commeatum quendam, alius temperamentum præstat. ac de horum utilitate alibi. Nolumus enim transcribere, quæ nullam difficultatem habent: potius est horum humorū differentias tam substantiales, quàm accidentales distinguere, quòd earum magnam confusionem in canone Auicennæ uideo. Præstat autem primo eas, quæ quodam modo substantiales sunt, percurrere. ac tales quidem ipsius bilis tres sunt, aut quatuor. Est pallida, est flaua, est uitellina, porracea. Tres mihi secundum magis & minus distingui uidentur. nam pallida, (uulgus puto Citrinam appellat, fortè Citinam aut Citriam dicere uult, quòd in his color flauus remissus exi

stat

ſtat) ut calore,ita colore remißior. Flaua mediocriter ſeſe habet. Vitellina propter nimium calorem partes ſeroſiores amiſit. Auicenna tamen utranq; ex permiſtione pituitæ generat, ex tenuiore pallidam, ex craßiore uitellinam. Et nos quidem ſcimus, choleram cum omnibus humoribus miſceri poße. interim uerò quæ dictæ ſunt differentiæ,per ſe & abſque alterius miſtione fieri poßunt. Eſto quarta choleræ differētia, quam praßinam aut porraceam appellant: eadem omnino eſt cum æruginoſa. quapropter Auicennam miror, qui ipſas à ſe inuicem diſtinguit, ac male ex miſcella uitellinæ, non autem ex propria natura talem æſtimat. ac de hac poſtea. Neque illud caret redargutiōe, quòd porraceam ex uitellina generat. Idem male zinariam quandam choleram albam appellat. Nam nulla talis reperitur,neq; unquam tanta aduſtio in corpore contingit,ut bilis alba euaderet:& ſi omnino talis euaderet,potius nomē melancholiæ ſubiret: quippe & dum nigreſcit,melācholiæ nomē accipit. Sed & multa alia de ſcita, & famoſa, ac illegitima bili Auicēna obſcurè tradit. Nam nobis ſatis eſt,quòd nunc cum melancholia, frequentius cum pituita bilis committi poßit. Verum in ea quæ ſecundum naturam, ac citra mixtionem exiſtimat,gradus reperiuntur quos diximus. Primum pallida bilis exiſtit, poſtea flaua:hæc quoque ſi maiorem calorem patitur, ui-

tellina efficitur: & dum hæc rurſum aduritur, in ueram melancholiam conuertitur. Eſt autem & altera ſpecies melancholiæ, multóq; peior, quæ ex fece melancholica uſta quidem & ipſa, aut aliter corrupta naſcitur. Reliquas quas Auicenna generat ex pituita aut ſanguine, nos ignoramus. non enim poteſt ſanguis continenter tranſire in melãcholiam, neque pituita in bilem, niſi prius ſanguis acceperit effigiem. Magis confusè pituitæ ſpecies tradidit. Nam qui legitimas illius ſpecies tradere uoluerit, primum ſaliuam, mucum, qui ex naribus ducitur, aut etiam eum qui inteſtina inuiſcat, ab ea ſeparare debet. uix enim nomen humoris merentur, quem Galenus (licet alibi diſsimulet) & Auicenna in hepate auſpicãtur. Atq; hinc ſtatim oritur quadruplex differentia. Prima dicitur ſeroſa pituita. Eſt ab hac alia ac dulcis, quæ ſpatio temporis in ſanguinem tranſmutari poteſt. Eſt tertia, quæ uitrea appellatur, à ſimilitudine, quam cum uitro fuſo obtinet: alibi eam minimè reuera ſimilarem, ſed duntaxat ſenſu appellat, nec tamen bene conſtat ex quibus eam componit: alibi eam cum morboſo ſedimine, quod in urinis aliquando uiſitur, confert. quare cum & crudam in libro de facultatibus alimentorum pituitam cum ea expẽdit, illius differentiam obſcurauit, quaſi eandem haberet, quod fieri nequit. nam uitrea lentorem habet, quo cruda per excellẽtiam uocata caret:

quanquàm

quanquàm maiorem craßitudinẽ, quàm uitrea, habeat. Proinde Galenus cum in quarto de sanitate tuenda omnem pituitosum succum craßum ac glutinosum definit, aut disiunctiuè, aut comparatiuè intelligendus est. atque hactenus cruda & uitrea differunt: quarum differentias Auicenna parum uidetur cognouiße. Nam in suo canone crudam omisit, ac eius loco uitream bis posuit: qui de innaturali phlegmate sic loquitur: Aliud est diuersæ substantiæ usque ad sensum, & istud est muscilaginosum: aliud dicitur in substantia secundum sensum æquale, sed in ueritate diuersum, & est phlegma crudum. Hanc ipse distinctionem accepit à Galeni de locis affectis libro tertio, capite quinto: ubi Galenus manifestè uitreum humorem definit: A' Praxagora, inquit, crudum appellatum. Frustra ergo Auicenna postea iterum uitream pituitam discreuit, quo factum est, ut crudam male omiserit, aut certè in primo loco crudam pro uitrea malè finierit. Nam de uitrea, non autem cruda, Galenus ibidem dixit, quòd sensu quidem similaris apparet, licet forsitan non sit. Adiecit & aliam speciem phlegmatis, quòd gipseum ipse appellat: atque ex craßiore parte eius, quod crudum dicitur, credo generat: sed nos non curamus eiusmodi breues differentias distinguere, potius est ipsas eodem nomine comprehendere. Iam amplius Auicenna ordinem differẽtiarum

pituitæ turbat, cum substantiales cum accidentalibus confundit. Nam *satius est accidentales seorsum digerere, ac penes saporem distinguere: quippe pro uarietate misturæ ferè euadunt saporum differentiæ, adeo ut Galenus omnes differētias pituitæ tres dixerit. Dulcem, atque hæc aliquando talis ex natura est, aliquando uero alterius, fortè sanguinis permistione, aut incalfactionis leuioris ratione. Secunda salsa est, idq; rursum uel ob putrefactionem, uel biliosæ humiditatis corruptionem. Tertia acida est, ac talis plerunque redditur per admistionem melancholiæ: talis etiā est uitrea: quanquàm Auicēna acrem potius uoluerit dicere. Sed forsitan de solo nomine contentio, ac ipse acrē appellat, quam nos acidam dicimus. Est autem quarta insipida, quam in secundo de febribus Galenus forsitan omisit, quia rarius ex ea febres fiunt, aut proximè dulci aßidet. nam ex minimo caloris momento insipida dulcis fieri potest. Atque hoc de humoribus.*

ET tactus quidem ac uisus, quòd talis ijs cernitur. Ratio uerò ubi non caloris copia, sed naturali humore talem esse definiuit. Ac particulæ quidem, ac succi corporis ad hunc modum sese habent.

Tactus, ut diximus, durum ac molle distinguit: ratio uerò an tale per accidens, an per se sit, prius expendit.

DE

DE ijs quæ temperamenta comitantur, deinceps agendum. Comitãtur enim ea, & quæ dicta iam ſunt: immo potius inſeparabilia omnino ſunt: à ſicco quidem corpore duritia, ab humido mollities, ſi tamen cum tepido calore eſt: ſed & craſſitudo habitus, & gracilitas temperamenta ſequuntur, non ea modo quæ naturalia ſunt, ſed etiam ſi quæ ex longa conſuetudine ſunt contracta.

Corporis temperatura generatim in duabus eſt partibus, in corporis habitu, & interioribus uiſceribus. & uiſcerum quidem temperatura ab operationibus, & ab excrementis colligitur: habitus uerò præcipuè ex colore, pilorũ circunſcriptione. ac de ijs poſtea liberaliter. Multa etiã à quantitate corporis, hoc eſt, ab obeſitate, macilentia, gracilentia, aut corpulentia, hoc eſt carnis copia, aut inopia. licet enim doctrinæ clarioris gratia, ijs quatuor accidentibus quatuor partiri nomina, ut gracilis opponatur corpulento, ac macilentus obeſo: qui uerò quadratus eſt, medium in ijs omnibus obtinet.

MVLTOS ſiquidem, qui natura graciles fuerant, pingues redditos uidi: contraq; qui pingues fuerãt, graciles. Illis quidem ex ocioſa & delicata uita toto temperamento ad humidius mutato: his uerò multa tolerãtia, & curis, & tenui uictu per

ſiccatis

ſiccatis. Dicemus uerò & horum diſcernen dorum notas. Satius enim eſt, talíſne quiſpiam natura ſit, an ex conſuetudine redditus, noſmet prius per aliquot ſigna diſcernere poſſe, quàm ab alio id quærere. Sanè eiuſmodi ſignorum autor æque ut reliquorum omnium, mirus eſt Hippocrates.

Frequens dictum & antiquum eſt, Conſuetudo eſt altera natura. Itaque hactenus parum refert, ſiue quis ex natura ſua, ſiue conſuetudine, carnoſus, gracilis, obeſus, aut macilentus factus ſit. Semper enim unumquodque iſtorum ſuam qualitatem arguit, gracilitas ſiccitatem, corpulentia humiditatem, obeſitas frigiditatē, macies caliditatem, quadratura temperiem. Veruntamen ut ſciamus quantùm unuſquiſque à priori natura deſciuerit, genuinam aſcititia diſtinguere decet: atque id iamiam iuxta Galenum & Hippocratē dicemus. nam neque æger ſemper hoc ipſum poteſt diſtinguere. Iam poſt quadrageſimum annum multi pingues & carnoſi euadunt, neſcias tamen an ex natura, an ex conſuetudine. Nam uel frigidi pauci ante iuuentutem pingueſcunt. Eſt autem omnino, ut diximus, pinguedinis cauſa, non quidem humiditas, ſed potius frigiditas: propterea ego neſcio an noſter interpres hîc rectè reddidit pingues, ego craſſos (παχῶν ἐόντας Græca habent) malo reddere, ac carnoſos intelligere. nam carnem, non autē

pingue

pinguedinem promouet humiditas, humiditatem autem promouet ipsa uitæ ignauia, ac mens secura. & hoc est quod nũc Galenus dicit, Temperamento ad humidius (non dicit autem frigidius) demutato. Non tamen sola humiditas crescit, sed & ipsa frigiditas: imò sæpe hæc magis. Quinimo de humiditate potest eße contentio: quia corpora nostra (ut sæpe dictum est) continuè exiccantur. Nunquid ergo falsum hoc Galenus astruit? aut experientia erronea, quæ multorum conualescentium corpora dum resumũtur, palàm humectari ostendit: aut rursum omnem morbum siccum oportebit eße incurabilem. Ita quidem decet, si quidem humiditas augeri nequit, aut reponi. Sed nos super hac re multa in Aphorismis nostris diximus: & quia ea quæ difficilia simul & utilia sunt, sæpe conducit repetere, hîc obiter licet perstringere, quòd non quisuis morbus siccus castigatur, tantum is qui ex inopia humiditatis in uenis paruis, aut in poris ipsius carnis. nam has humiditates licet reponere: quæ in solidis non item. Imò & in cõualescentibus, aut aliter macilentis, qui nunc fortaßis reponuntur, non crescit ipsius humiditatis ordo, sed carnis moles tãtum. Nam caro quæ accedit, eiusdem ordinis est cum ea quæ remansit: ita & oßium partes cum prioribus oßibus: hactenus tamẽ totum corpus humidius fieri dicitur, quòd reliquæ humiditates, & moles carnis augentur:

atque

atque hæc quidem præstātur per quietem. Nam motus econtrario tam animi quàm corporis (quia spiritu obitur) spiritum, imò uniuersum corpus, exoluit, exiccat, & inflammat. Sed hæc liberalius exponemus in secundo de morbis, aut eorum causis.

SI quidem quibuscunq; latiores uenæ sunt, hi calidiores natura sunt: quibus angustiores, contrà magis frigidi. Caloris nãque opus est has dilatare, flatuq; extendere. Ita rationabiliter in idem ferè recidit uenarum angustia cum habitu pingui, & crassiore: habitus gracilis cum uenarum laxitate. Quòd siquis simul pinguis crassusq; est, ac uenas laxas habet, is consuetudinis alicuius occasione, nõ natura pinguis est redditus. Sicut ediuerso, si quis angustas habet uenas, & gracilis est, ne hunc quidem talem esse natura necesse est.

Promptum est ex angustia atque latitudine uenarum, quis ex natura, quis ex uictu sit calidus aut frigidus, discernere. solida enim quem olim modum conceperant, ferè per totum uitæ spatium seruant: non tamen genuina siccitas atque humiditas ab adscititia diuersum in solidis modum ostendit: quapropter difficile est hæc distinguere, nisi ipsum ab ineunte ætate noueris, aut priorem uitam diligenter expenderis. ea enim sola sunt, quæ effectus genuinos ab aduenti

tÿs

tijs poßunt diſcriminare, aut interſtinguere. Potes tentare ex pilorum circunſcriptione. nam ſi quis ex natura frigidus & humidus, & ſub uirilem ætatem cœperit fieri calidus & ſiccus, non ob id ſtatim, ut qui à principio talis fuerit, hirſutus fiet, fiet tamen fortaßis talis, ſi longo antea temporis ſpatio naturam mutauerit. Proinde melius eſt hæc ex corporis proceritate definire. Nam quibus humidum ex natura abundat, ſiccis (modo calor ſit æqualis) ſunt proceriores: at quibus ex uictu aut conſuetudine, nō item: quippe proceritas ſolidorum ſequitur conditionem. aſt hæc poſtea non immutantur, ſed talia manent, qualem naturā ſortiti ſunt. Sic & uenæ, quæ ſemel amplè inflatæ fuerunt, nulla frigiditate poſtea contrahuntur, aut anguſtæ diſtenduntur, ſed proportionem ſuam ſeruant.

QVIN cum fames urget mediocritatem ex laxitate uenarum & anguſtia, non à cætero ipſius corporis habitu ſpectãdum eſſe ait. Quippe qui anguſtas habẽt uenas, exigui ſunt ſanguinis, nec lõgam inediam ferũt: quibus latæ, his copia ſanguinis eſt, & citra noxam cibo abſtinent.

Hic locus manifeſtè aduerſari uidetur ſermoni qui in primo Aphoriſmorum eſt, qui calidos & humidos præ cæteris omnibus difficilius inediam ferre dixit: etenim ij latißimas natura uenas obtinent. Si quidem cum calidis & ſiccis

hos

hos comparaßet excusatio (quæ in primo Aphorismorum dicta est) huc afferri poterat. uerum hæc etiam cum frigidis conferre audet. Nunquid ergo mendum suspicaberis? Certè si simplex fuisset Galeni dictio, idipsum fortaßis licuißet: nũc uero etiam rationẽ subijcit, ut magis credamus. Putauimus aliquando Hippocratem & Galenum non quosuis æstimare hic calidos, sed qui præterea sanguinis abundarent copia. ac de ijs quidem nulla est difficultas. tales enim non solũ inediam ferunt, sed phlebotomiam (qua reliqui offenduntur) desiderant. Sed hæc ratio nunc paulò generalior apparet. generale enim est, quòd calidis quàm frigidis sanguis sit liberalior. Nunquid ergo calidi melius ferunt famem quàm frigidi? dura certe compositio, neq; absq; redargutiõe aliqua. Omitto quòd sic accepta oratio non nihil extra propositum exorbitet. audax ergo facinus. & tamen ego suspicor, quòd is locus sit ab aliquo interiectus, aut certè à Galeno quasi aliud cogitante ascriptus. Idem indicat sequens particula, quæ potius alterius præcedẽtis, quàm huius, reddit rationem.

CAVSAE horum euidentes iam sunt ijs qui animum aduerterint, tametsi à me non referantur: sed quoniam non omnes aduertunt, necessum fortasse erit, aliquid eorum causa dixisse. Quicquid in sanguine pingue, leue, & tenue est, id in calidioribus

bus corporibus alimentum quoddam calido fit: in frigidioribus ſeruatur. Cumq; id uenæ extra ſe tranſmiſerint, ubi in frigidas particulas incidit, quod genus membranæ ſunt, in ijs cõcreſcit. In partibus uerò natura calidioribus, cuiuſmodi carnoſæ ſunt, à calore ipſo abſumitur, ac digeritur: niſi ſicubi frigiditati temperamenti etiam uita indulgentior accedens ipſis carnoſis particulis adipis aliquid allinat. Qua ratione etiam quæ hyeme deliteſcũt animalia, nõ rarò inueniũtur adipe obeſa: & fœminæ uiris ſunt pinguiores, quòd ſcilicet fœmina mari eſt frigidior, & plurimũ domi uerſatur. Ac quicunque corporum habitus, & temperati natura ſunt, & mediocri exercitatione utuntur, hos neceſſe eſt euſarcos eſſe: id uerò eſt mediocri omnino corporis habitu.

Non confirmat hæc ratio, quòd frigidos fames magis urgeat, ſed quòd plus adipis illis obtingat. Oritur autem ea demonſtratio ex adipis generatione: quæ non oritur ex terrea aut aquea ſanguinis portione, ſed ſubtili atque aërea. Eſt autem hæc humiditas pinguis, quemadmodum aquea ferè acida, nec tamen admodum ad reſtaurationem idonea eſt, ſed in uenis conſeruatur, & à calore digeritur: aliquando fortefortuna è uenis elabitur: quæ ubi in calidas incidit

dit, iterum absumitur: si uerò in frigidas, in adipem conuertitur. Potest autem & reliquus sanguis in magnum aliquod spatium effusus concrescere: sed nunquàm in adipem trasmutabitur. Tanta est ergo inter reliquas partes & adipem differentia, quòd reliquæ partes industria caloris apponuntur, atque adeo ab uniuerso sanguine proficiscuntur, in adipem uerò non nisi humidiores partes coalescunt, idq; frigoris fortuna ac studio.

QVIBVS uerò humidum abūdat, & calor à mediocritate summa non longè abest, hi corpulenti siue carnosi fiunt.

Humiditas per se non uidetur affundere carnem, sed caloris adminiculo, adeò ut dubites an caloris, an potius humiditatis opus sit. etenim carnis copia sanguinis affluxum sequitur, sanguis uerò calorem. Humiditas enim si cum frigiditate coniuncta fuerit, carnem priorem uitiat, tantum abest, ut bonam recreet. Veruntamen hepar calidum simul & humidum multo maiorem uim habet ad generandum sanguinem, quàm calidum & siccum. est enim sanguini multo conformius. Ita nihil nunc est admirandum, quòd humidum hepar (constante calore) plus generet sanguinis quàm siccum: quippe quòd grauius est siccitas: etiam priorem carnē extenuat: idipsum quoq; excessus calidus potest: & propterea maximè gracilis calida & sicca est.

COR

CORPVLENTI rurſus fiunt qui natura ſunt temperati, cæterum deſides & ocioſi uiuunt. Quippe dictum à ueteribus commodiſſimè eſt, Conſuetudinem acquiſititiam eſſe naturam. nec fortaſſe oportebit cum id iam ſemel dixerimus, in quouis etiam capite definire, naturáne frigidior, an ex conſuetudine quiſpiam ſit redditus: ſed illud legentibus remittere: me autem compendij cauſa proprios cuique temperamento corporis habitus perſequi.

Oritur in hoc loco difficultas ex eo, quòd hic potius frigiditatis, quàm humiditatis meminerit. Nam quòd temperati, ſed deſidioſi, corpulenti fiant, potior cauſa eſt, quia deſides & ocioſi humidi euadant, quàm quia frigidi. Ad hoc accedit quòd poſtea dicitur, quòd quibus caro eſt plenior, his humoris plus iuſto eſt: non tamē etiā frigoris. Ergo obiter admodum id à Galeno dictum eſt, quòd deſidia ſimul humiditatem promoueat & frigiditatem. & quòd intendat frigiditatem eſt certum: quando autem ad humiditatem uentum eſt, de inſtrumentali oportet intelligere: quippe humiditas inſtrumentalis augeri poteſt, ſimilaris uerò nunquam. nam caro iuuenis ſemper carne pueri eſt ſiccior: ſæpe tamen multos iuuenes inuenies multis pueris carnoſiores.

SVNT igitur nonnulli, qui & graciles

ſunt, & uenas paruas habeant: ſed ſi ex ijs quempiam incidas, adeps excidet: quam cõſtat cuti ad internam eius membranam ſubnaſci. Et rarò id quidem in uiris conſpicitur, in fœminis ſæpiſſimè inuenitur. Eſt nãque tũ frigidioris naturæ, tum uitæ magis deſidioſæ eiuſmodi nota: ſi quidem adeps ex habitus frigiditate gignitur. Corpulentia ſiue carnis abundantia, ex ſanguinis copia naſcitur: mediocritas temperatæ naturæ nota eſt.

Graciles ergo uocat nunc, qui carne tenui ſunt, etiam ſi adipis copia laborent, poteſt tamẽ fieri ob duriorem uictum, ut idem parum adipis contineat.

ET corpulenti quidem omnino plus adipis habent, quàm temperati. Nec tamẽ pro carnis ſemper portione adeps ſimul augetur, ſed alios habere plus carnis, alios plus adipis uideas, alijs ambo pari modo ſunt adaucta. Et quibus quidem ambo pari modo ſunt aucta, his tantum ſupra temperatam naturam humoris eſt, quantum & frigoris. Quibus autem plus eſt adipis, in his plus frigidi eſt, quàm humidi.

Adeps ut paulò antè definitũ eſt, ex habitus frigiditate fit. At corpulenti appellantur quicunque plus carnis obtinent temperatis. Obtinent

autem

autem & corpulẽti, licet calido mediocres, plus adipis quàm ipsi temperati. nam licet humoris copiam imitatur præcipuè multitudo carnis, tamen uel adipis proportio aliqua sequitur, quòd utraq; sit humida. & in temperatis adeps carnis proportionem seruat: quocirca & alibi in quibus caro abundat supra temperatũ, adipem quoq; exuperare est necesse. Nam humoris copia maiorem adipis materiam sufficit, quapropter plus adipis ipsum sequi necesse est.

AEQVE ut quibus caro est plenior, his humoris plus iusto est, nõ tamen etiam frigoris. Cum enim calori intra debitos fines manenti boni sanguinis accedit copia, necesse est corpulentia sequatur.

Humiditas carnem auget, quoniam assimilationem siue nutricationem promptiorem exhibet: maximè autem carnem promouet, ubi citra caloris consistit inopiam. Nunc tantum superest corpulentum ab adiposo distinguere: atque id non est admodum difficile: etenim adiposi ad cacheticos accedunt, parum colorati & molles sunt, appetitu, concoctione, ac ferè uniuersis operationibus flaccidi, in quibus omnibus corpulenti mediocriter sese habent.

QVANTVM autem supra mediocritatem sanguis esse debeat, id quidem mensura & pondere ostendere non est, ratione tradere licet. Quippe ubi nullum adhuc

morbosum symptoma crassato corpori in cidit humoris abundãtia, intra sanitatis interim est fines. Monstratum enim nobis & in alijs est, non paruam in eo statu, quæ sanitas dicitur, necessario statuendam esse latitudinem: quin nunc quoque in omni ferè nostro sermone apparet, qui temperatã mediamq; naturam reliquarum ueluti canonem semper statuamus: quæ uerò ex huius utraque sunt parte, intemperatas censeamus. Quod utique non facceremus, nisi in sanitatis statu maioris minorisq; ratio inueniretur. Est enim alia sanitatis, alia morbi intemperies. Morbi quidem ea, quæ à media temperie lõgissimè abest: sanitatis, quæ paulum. Definire autem modum ne hic quidem mensura & põdere licet. Cæterum intemperamenti quod intra sanitatem habetur, sufficiens nota est, quòd nulla functio animalis manifestè sit adhuc læsa. Quãtum igitur interuallum est inter id quod perfectissimè functionem obijt, & id quod manifestè actionem aliquam habet oblæsam, tanta est profectò & sanitatis & distemperantiæ, quæ intra sanitatem consistit, latitudo. Ab hac proxima est intemperies morbosa: cum scilicet animal intemperamenti uitio ægrotat. Non enim huius tantum noxa laborat, sed etiam alijs affectibus non

paucis

paucis : de quibus in ijs quæ de morborum differentijs ſcribemus, diffuſius agetur.

Sanorum triplex eſt latitudo aut differentia. Quædam enim edũt perfectas operationes, quædam ambiguas, quædam manifeſtè imperfectas: accedunt ijs, quæ manifeſtè læſas exhibent: nouiſſimi ſunt, quibus iam omnis operatio perit. Salubria ergo ſigna, ægra, neutra, inſalubria ab ijſdẽ ſumuntur generibus, ſecundum plus & minus differentibus. Sed & diſpoſitiones non alia ferè ratione quàm maioris & minoris differunt. Ita plenitudo nunc neutram, nunc inſalubrem diſpoſitionem oſtendit: ſed difficultas eſt, quiſnam hic affectus, neutra, aut inſalubris diſpoſitio exiſtat. Et *mihi quidem humiditas uidetur. hæc enim eſt quæ primo uires nonnihil labefactat, poſtea infirmat: ſed huic nunc caliditas, nunc frigiditas ſuperuenit, caliditatem febris ſequitur, frigiditatem uerò aut ſuffocatio, aut lenta aliqua tabes. Quòd ſi nũc carnis, nunc ſanguinis copia magis urgere apparet, ne hoc quidem nos mouet. nã ſæpe ſymptoma ſymptoma ſequitur: nec eſt morbus continens cuiuſuis ſymptomatis cauſa, ſemper tamen prima. nam & morbus dolorem parit, dolor autem magnitudinem, magnitudo uigiliam. non eſt ergo in plenis morbus ipſa plenitudo, ſed ipſa temperatura, quæ quamdiu parua & breuis fuit, potius neutra diſpoſitio,*

quàm manifesta intemperatura dici meruit.

NVNC redeundum ad diuerticulum est. Sicuti enim naturali calore optimã seruante temperiem, humidum quod intra sanitatis terminos est auctum, non adipem modò in homine, sed etiam corpulentiam gignit, & adipem quidem parcius adiicit: carnem uerò multo liberalius auget: ita rursus, si humidum & siccum mediocritatem ad unguem inter se seruent, calor autem in homine sit minor, necesse est huius corpus adipe quàm carnis copia magis abũdet. At uerò si calor augeatur, seruetq; mediocritatem altera contrarietas, minus erit ei animali adipis quàm carnis. Sicut e diuerso si quando pollet siccum, altera contrarietate medium modũ seruante, & gracilius & durius corpus euadet. Hæc à me dicta sunt, patetq; non solũ ratione mõstratũ esse, quòd simplices in animalium corporibus intẽperies habeãtur, sed etiam quòd singularum manifestæ sint notæ. Nec eæ modò in calore, frigore, mollitie, & duritie, sed etiam in reliquis omnibus habituum corporis differentijs. Quarum de ijs quę ex gracilitate & crassitudine spectantur, mox diximus: de reliquis nunc dicamus.

Temperata eusarca est, frigida adiposa, humida carnosa, aut corpulenta, sicca gracilis: calida & sicca

& ſicca macilenta, ac gracilis: frigida & humida adipoſa, & carnoſa: calida & humida macilenta, ſed carnoſa: frigida & ſicca adipoſa, ſed gracilis.

CALIDA igitur & ſicca intemperies hirſuta eſt, uerum ea in ſummo. Mediocriter autem quæ calida quidem eſt, ſed in altera contrarietate mediocritatem habet. Similiter & quæ ſicca quidem eſt, ſed in calido & frigido media eſt temperie: eſt enim ea quoque modicè hirta. Nuda pilis ſunt frigida omnia temperamenta, ſiue ea mediocriter ſeſe habẽt in humiditate, ſiue immodicè. Cæterum ad ſummum eſt glabra frigida tẽperies & humida. Minus hac quæ frigida eſt, ſed in altera contrarietate temperata. Adhuc minus, quæ frigida eſt, & ſicca.

Liberaliſſima ſigna ſunt quæ à pilorum ſumuntur circunſcriptione. non enim in uno loco tantũ apparent, ſed ubique ferè conſpicua ſunt: adde quòd non uno modo temperaturam deſignant, ſed raritate, denſitate, colore, figura, craſſitudine, tenuitate. Ac quædam ex ijs humoris, quædam cutis, quædam etiam uniuerſi corporis conditionem arguunt. Nec mirum: nam & aliorum ferè animantium ex pilis, aut eo quod pilorum uice eſt, rationẽ colliges. Ac de ijs nunc Galenus dicere aggreditur, incondito ſatis, ut mihi

apparet, ordine. Nam *argumentum expostulabat, ut primum materia pilorum ex multis excrementis definiretur: & quòd non quoduis excrementum duntaxat fuliginosum, siue in ea parte genitum, siue ab uniuerso corpore sublatum ad pilorum generationẽ esset idoneum: & quia hæc fuligo sanguinem imitabatur, sanguis uerò diuersus existat, nunc temperatus, nunc biliosus, aliquando pituitosus aut melancholicus, iuxta hoc quoque & pilos uariare, multitudine, crassitudine, colore, figura uidemus.* Secundo *loco conueniebat dicere, quòd non ubique talis fumus in pilos expiret, duntaxat in cute utcunque sicca.* Huic *tertio adiacebat, quòd diuerso modo enascerentur, & in quibusdam partibus sine ordine more graminum aberrarent, in quibusdam uerò iustis circunscriberentur limitibus: atque ij ferè sequuntur à principio, illi non nisi longo tempore postea.* Facile *nunc erat ex ijs colligere, quòd maximè hirsuta erat calida & sicca, minimè frigida & humida, medio modo mediocriter attẽperata: tunc tempus erat idipsum ex comparatione ætatum & regionum ostendere.* Nam *si nõ penitus regiones cum temperaturis aut cum ætatibus conferre liceat, magna tamen ex parte datur.* Sed Galenus *hunc dicendi ordinem omnino peruertit, & primum temperaturas inter se contulit.* Cogimur *ergo & nos hunc ordinem inire, ac sigillatim iuxta hunc de singulis dicere, ac primum*

mum

mum quidem comparationem ſingularum inuicem temperaturarum facere. Habet autem ſe ſic, Summè glabra eſt frigida & humida, deinde calida & humida, poſtea frigida & ſicca: amplius eſt hirſuta calida, copioſius ſicca, præ omnibus alijs magis calida & ſicca, in omnibus mediocritatē obtinet temperata, ac uidetur magis hirſuta quàm calida & humida, minus quàm frigida & ſicca.

QVANQVAM putet aliquis, ſicut fieri non poteſt, ut in terra ſicca herbæ naſcantur, nutriantur, & incremētū capiant: ſic nec pili in (*ſicca*) cute. Eſt autem ſecus. Quippe terra ut terra ſicca dicitur, cutis ut cutis. Itaque ſiccitas, quæ in terra eſt, maximè ſine humore eſt: quæ uero in hominis eſt corpore, & eius ſimiliū animalium, nec humoris eſt expers, & maxime omniū ad pilorum generationem eſt idonea.

Non eſt quiuis locus idoneus ad gramina, nec quæuis cutis ad pilos: ſed quæ in ſiccitate modū quendam obtinet. Nam multa humiditas meatus, ex quibus pili oriri debēt, oblinit: & multa ſiccitas adueniens alimentum conſumit, certè non admittit. ſed hæc paulò poſterius.

SI quidem nec ex ijs quæ ſilicia teſta in tecta ſunt, nec cruſtatis, ueluti cancris, oſtreis, locuſtis: ſed nec ex ijs, quæ in cauernis deliteſcunt, quales ſunt ſerpentes, nec

quæ

quæ ſquammata ſunt, cuiuſmodi ſunt piſces, oriri pili poſsunt: ſunt enim horum cutes uerè atque in totum ſiccæ ritu teſtæ, uel petræ.

Locuſta ad multos patet ſignificatus: aliquãdo herbam rapunculum ſic appellant: uulgo uolatile quoddam ita appellatur, quod apud quoſdam homines in uſu eſt, ac ſale conditum reponitur: certè & apud Iudæos, ſi rectè memini, cibus conceßus erat. Hîc pro piſce ponitur.

CAETERVM ex ijs quæ molli ſunt cute, ut homo, quanto utique ſiccior calidiorq; cutis fuerit, tanto magis poteſt pilos gignere. Nam ut ab exẽplo terræ, quod illi præponunt, non recedamus, herbæ nec in ſicca, & ſqualente admodum terra naſci poſſunt, nec in humida & lacuſtri: uerum cum abſumi cœperit redundãtia humoris, tunc enaſcuntur è terra. Augentur autem largius, ubi hæc quoq; ſicceſcit, modicè quidem in uere, celerrimè uerò & plurimũ ineunte æſtate. Siccantur autem omnino arefacta terra æſtate iam media, licetq; tibi (ſi placet) nunc quoque ſicuti in priore libro demonſtratum eſt, uer ipſum propterea quòd ex temporibus anni maxime temperatum eſt, temperati corporis id aſſimilare cuti, potiſſimumq; eius temporis medium. tum enim terra quoque ipſa medio quodã

quodã ſtatu humoris ſiccitatisq́; eſt. Quod autem ueris æſtati eſt proximum, id iam ſic ciorem iuſto reddidit terram, hoc etiam amplius æſtas inchoata. Quam igitur dico calidam & ſiccam cutem, hanc maximè ter ræ ſtatui adſimilem, quæ abeunte ſit uere, uel ineunte æſtate. Nã media æſtate in ſum mo eſt ſicca, perinde ut teſta inte{c}torum animalium tegmen, non ut hominum, ſu- um, aſinorum, equorum, aut alterius cuiuſ quam eorum, quæ pilis ueſtiuntur. Quare ſi cutem terræ cõparare uolunt, ha{c}tenus quoque rem conſentire cum ijs quæ prius diximus, inuenient. Ipſi uerò ſeſe ex homo nymia non animaduerſa fallunt. In ſicca e- nim & calida cute multos magnosq́; pilos naſci diximus: nimirũ ut de homine, uel a- nimali pilis prædito, non de oſtreis aut can cris uerba facientes. Quippe per omnem cu tẽ digeritur ſemper aliquid à calido, quod ſecum etiam interni humoris nonnihil au- fert.

Cur neque humida admodum cutis, neque ſicca pilorum generationi idonea eſt, dictum eſt antea. Fortè humidam cutem facilè excrementa penetrant, & priuſquam reliquæ partes ſucce- dunt, exire anticipant. Sicca uerò paulò durior eſt, quàm ut penetrari poßit. non enim admo- dum apparet ueriſimile, quòd ignaua cutis ſicci-

tas

tas, totum ad ſe ueniens alimentum poßit abſumere. neutro modo in humana cute ſiccitas pilorum generationi obeſt: quoniam ipſa nunquam humoris ſaltem à principio eſt expers. Proinde ſi quæras ubi ob ſiccitatem animantia pilis careant, debes abire ad animantia testacea, cruſtacea, aut ſquammoſa: nam ut terra arenoſa & lapidoſa nullam patitur ſegetem, ita hæc nullos edunt pilos. Verum in hominibus nunquam cutis humoris ferè expers eſt, niſi forſitan ad extremum perductis ſenium. Nam hic cutem capitis aliquando eſt uidere testaceam, ac inſigniter caluam. Potes autem & in alijs ætatibus ſimpliciter ſuapte natura reperire ſiccam, ſed interno ferè ſemper humore imbutam: quapropter, ut dixi, eo ferè piloſior, quò ſiccior, præſertim in reliquis corporis partibus.

VERVM in quibus humida cutis eſt, & planè mollis, qualis modo concreſcens caſeus, in his eorum, quæ exciderunt, uiæ per cutem non manent: partibus ſcilicet eius quæ prius diſſidebãt, rurſus inter ſe unitis. At in quibus dura eſt non abſimilis caſeo iam coacto, perforatur quidem eorum quæ excũt impetu. Cum autem rurſus uniri nequeat per ſiccitatem, meatus ipſos immutatos ſeruat, qui etiam perpetuo tranſfluentium ictu aſſidue magis fiſtulantur.

Idem & in terra humida euenit: ſed alia forſitan

ſitan ratione. nam hic fortè ſuffocantur, in homine uerò meatus collabũtur. Nec obſtat, quòd alia animalia humidiſsima, ut ouis, & ſimilia, pilos multos, aut pro pilis aliam rerum phantaſiam produnt. non enim ſemper ipſa cutis interioribus reſpondet, duntaxat aliquãdo. firma enim in his cutis eſt, ſolida ac quodammodo coriacea, quo fit ut pili hic potius quàm in homine cutis cõditionem imitentur. Iam illorum alimẽtum plus parit alimenti ad pilos idonei, atq; hac ferè de cauſa homo præ cæteris animantibus minimè piloſus eſt.

SI igitur quod trãsfluit, uel halitus, uel humor purus ſit, halitui certè celer, miniméque impeditus trãſitus eſt, humor in exilioribus ſpiramentis nonnunquam hæret, aliquid etiam intrò recurrere ad profundũ cogitur. Sin ueluti fuliginoſus, craſſusq;, & terreus uapor ſit, ſubinde contingit, ut in anguſtis ſpiramentis impactus, nec facilè rurſum intrò redeat, nec uacuari poſsit.

Excrementum uniuerſi corporis quadruplex eſt. Aliud enim tenue eſt admodum, quod inſenſibiliter perſpirat: aliud ſeorſum, quod in ſudorẽ uertitur: tertium craßum quidem eſt, ſed ignauum, atque hoc quidẽ in ſordes, ac pediculos noſtri corporis uertitur: nouißimum magis fuliginoſum eſt, atque id ſolum ad pilos idoneum eſt. nam tertiũ etiam ſi quàm maximè in meatibus hæreret,

hæreret, pilis materiam oportunam non sufficit. Argumento est, quòd plurimis corpus sordidum, parum tamen hirtum.

HVNC igitur alius rursum è profundo subiens ferit, prorsumq; impellit: tum hũc rursus alter, atque illum alius. Ac multos mihi huiusmodi uapores fuliginosos alium super alium impactos tempore complicari coniungiq; intellige, ac unum huiusmodi efficere corpus, qualis est ea quæ foris cernitur fuligo: nisi quòd hic quantum spissatum est, tantum etiam per transitus angustiam stipatum, in angustam prorsus redactum est formam. Vbi autem tale corpus totum obstruxerit meatum, deinceps iam uiolenter ictum, à similibus sui, quibus exitus non est, excrementis, totum interim propellitur, adeo ut cute exire cogatur, iam lori formam adeptum.

Quòd pili more aliarum partium non nutriantur, longè promptius est dicere, quàm ratione ostendere: nam licet ex sanguine principium non obtineant, plantis certè uidentur nutriri similiter: donec attendamus, quòd nequaquam per totum alimentum recipiant: sed tantum coacernatis atq; congestis inter se fuliginibus, tandem in longum proferuntur, atq; in modum tenuioris lori finguntur. Ac si uerum uelimus dicere, non augentur in longum, sed potius protruduntur.

Quòd autem exhalatio quæ ſuccedit, tam potens ſit,ut conceptum iam pilum poßit extrudere,promptè potes ex unguibus diſcere,ubi partes primæ tandem omnibus uidentibus euadunt nouißimæ. Potens enim eſt uirtus excretiua,& nobis inſciis promouet,ſed admodum paulatim:atque hinc eſt,quòd partes citra dolorem ſeſe inuicem protrudunt,tametſi uel parua unguium diſtractio ingẽtem dolorem moueat. Tantum ergo augmentum pilorum & unguium differt ab incremento aliarum partium, atq; adeo ipſarum ſtirpium: nam quod primum fuit in unguibus, & in pilis, tandem fit nouißimum: at radices ſtirpium perpetuò fixæ manent,nec ſeſe exerunt: iam ſtirpes augentur in omnem partem, pili uerò & ungues præſertim in longum. Certum ergo eſt,quòd potius protruduntur, quàm ſecundum longum nutriuntur. Atqui econtrario reliqua membra ſolida prius deſinunt creſcere in longum, quàm in latum. His uidetur atteſtari quod nunc dicam: Si quis tribus quatuórue diebus barbam ultrà, quàm ſolet,promittit, præ inſolentia manifeſtam moleſtiam ſentit. Poteſt hoc contingere ex grauitate maiore ſolito:poteſt etiam accidere,quia promotis ac promißis præter ſolitum pilis, non eſt æquè prompta ipſorum extruſio, nec excrementum promptè difflatur, ſed in poro magis magisq; excrementum coaceruatur. Hæc eſt in-

n *ſolentia*

solentia quæ naturam uellicat, donec in consuetudinem uenerit, uel meatus plenitudine quadã obstupuerit. Nescio an simili de causa (certè iustum problema est) pili in palpebris & superciliis secti priorem longitudinem repetunt, integri uerò non crescunt: nam in solido loco fixi sunt, ac parum fœcundo, tamen rasi aut etiamdum secti ad prius incrementum redeunt. Iam ergo de utilitate ipsorum dicendum est. non enim eos natura duntaxat ad decorum produxit, sed ut meatus iis infarciat, ne corpus rarefactum omnibus externis iniuriis peruium esset: quemadmodum in iis euenit, qui caput rasum habent. Nam sine ullo detrimento corporis, ne ipsa quidem barba radi potest. hac de causa fortè & Moyses in Leuitico barbam radi uetuit. non desiderant tamen eos mulieres: ut enim illarum corpus est frigidius, ita & densius: ob eam causam neq; pueri pilos alibi quàm in capite edunt: nondum enim corporis raritas illud tegmen requirit.

ADSIMILES autẽ quod in meatu est impactũ herbę stirpísue ueluti radici: quod uerò ex cute extat, ipsi ueluti stirpi.

Differentia est, quia radices plantarum animatæ, radices uerò pilorum inanimes. atque in cute more styli potius figuntur, quàm ad morem radicum cum plantis terram amplectantur.

FIT autem niger pilus, cum deusto ui caloris uapore excrementum in exactam fuliginem

fuliginem mutatur:flauus uerò, cum uapor minus torretur: quippe quod tum est impactum flauæ bilis, nõ nigræ, feculentum excrementum est. Albus uerò pilus ex pituita nascitur.

Exhalatio omnis in corpore simplicis quodammodo generis est, quippe calida & sicca. uerum prout ex pituitoso, bilioso, aut alio effertur sanguine, speciem mutat, ac in pilis colorem sibi aßimilat, nisi externum quiddã prohibeat: quippe color exhalationem, exhalatio humorem, humor uerò temperaturam imitatur. Imitatur, dixi, nam simpliciter aßimilari nequit: alius enim color ipsius sanguinis, alius ipsius excrementi, nec statim ex ipso sanguine, sed ipsius fuligine pilus enascitur, quæ nunc magis pituitosa, nunc amplius biliosa est. atque hoc modo ipse Galenus audiendus, ubi nunc album ex pituita, flauum ex bile generat. Non enim simpliciter fuligo, aut bilis, aut pituita est: sed ex bilioso aut pituitoso humore nascitur.

RVFVS sicuti albi flauiq; coloris est medius, sic eius generatio ex pituitosæ biliosæq; fecis media quadam natura prouenit.

Quemadmodum dicere soleo, nihil ferè eorum quæ uulgò dicuntur, temeraria sunt: sed illorum ratio plerunque latet. ex ijs est quod uulgò dicitur, eos qui rufa barba, aut cæsarie sunt, plusquã

mediocriter bonos aut malos eße. Respōdent ijs historiæ sacræ. Nam Dauid *rufus erat, quo nihil humanius, melius: rursum* Esau *rufus erat, tamen ferus.* Poßem *ego ex hoc loco colligere horum causam.* Nam *rufus color, inquit* Galenus, *ex media quadam natura constat inter pituitosum & biliosum, idq; uidetur mihi accidere dupliciter, uel quia per se talis natura media est, uel per accidens occasione alicuius misturæ, quæ per se talis est, propè ad temperamentum accedit: & licet ad sanguineū inclinet, simplex existit.* Verum *quos mistura tales reddit, ferè maligni.* Semper *enim damnata est omnis inæqualis complexio: & quemadmodū corpus perpetuò ualetudinarium ferè efficit morbosumq;, ita & animum ferè morosum: certè animum nihilosecius quàm corpus duplicem reddit, uulgo proditores arguuntur.* Nunc *dicamus cur ipsa coma aliquando nigra, & barba rufa: puto pauci sunt qui id non annotarint, ac tanto mirabilius est, quòd nemo causam reddiderit, ne quæ fierit quidem .. nec in promptu apparet.* Nam *si temperaturæ diuersitas in causa sit, quasi alia temperatura capitis, alia ipsius faciei, ita fere semper in omnibus eße oportebat.* Forsitan *commentaberis ignauius excrementum ad faciem seponi, & calidius nigriusq; ad caput segregari. atq; id omnino est commentitium. ergo sola intemperamenti imparitas in causa est. nam longè aliud*

gè aliud temperamentum ipſius capitis, aliud ipſius faciei:ac quale eſt caput ab initio, uix tandem talis fit ipſa facies. humida enim facies eſt, & ad generationem pilorum inidonea, niſi demum quando cum uniuerſo corpore calore teſtium nonnihil exiccata fuerit. Eadem ferè cauſa eſt, cur barba poſterior & plerunque coma minus colorata eſt. Plerunque dico, nam facies carnoſior eſt, ac proinde ut humidior, ita & calidior: atq; hac ratione eiuſdē coloris pilos cum capite ſæpe oſtendit. Magis miraberis cur potius facies quàm caput in iuuentute pilis uariet: ſæpe enim barbam partim nigram, partim canam uidimus, cæſarie adhuc conſtante, nunquid partes hic uario temperamento præditæ ſunt? Ob eandem cauſam & temporibus citius caneſcimus, quàm alijs partibus. ſunt enim tempora humidiora, ſinciput uerò ſiccius. Sed hæc differentia minor eſt, quàm ut euidentem in iuuentute pilorum differentiam faciat, duntaxat in ſenectute. nam nutrimentum pilorum in iuuenibus fortè, in ſenibus imbecille: facilius autem mutatur infirmum, quàm robuſtum.

CRISPI pili fiunt uel propter ſiccitatem temperamenti, uel propter meatum in quo radicantur. Et propter ſiccitatem quidem ad eum modum, quo corrigiæ quæ igni plus iuſto ſiccantur. Et quid corrigiarum meminiſſe eſt opus, cũ ipſos pilos ubi

igni propius sunt admoti, protinus intorqueri uideas. Atque ita quidem omnes Aethiopes sunt crispi, at propter meatuũ in quibus radicãtur naturam, ad hunc modũ: Cum exhalatio sæpe imbecillior est, quàm ut rectam uiam sibi moliri posit, pro modo quo inflectitur, etiam meatum suum figurat. Interim uerò exhalatio satis ualens est, sed duriore cutis natura recta ferri regione prohibita, in latus flectitur: ita ut extrinsecus uidere licet, non halitum modo, aut fumum, sed etiam flammam ipsam cum sursum agi uetatur, diuisam utroque uersus in obliquum agi. Sic igitur corporis exhalatio, ubi prorsum agi prohibetur, obliquum sibi transitum sub cute molitur, donec longiore spatio collectam aliquid eam urgeat, & foras flatu agat. Est quando ambobus coëuntibus, & primæ exhalationis, quæ meatum finxit, imbecillitate, & cutis siccitate obliquitas pilorum radicibus contingit.

Crispitudinis item & simplicitatis pilorum duplex est causa: altera siccitas, altera meatus obliquitas. Siccitas autem aliquando oritur ex ipsa cute, aliquando ex ipsa fuligine. Sic meatuũ aut pororum obliquitas, interim sequitur ipsius cutis duritiem, interim ipsius exhalationis imbecillitatem. non enim hæc semper cutem peruadit,

dit, sed in medio moratur, ac tandē in obliquum fertur, qualiter & fumus sui debilitate aliquando circunstante frigore propellitur, atq; reuertitur: aliquando exhalatio satis ualens est, sed cutis duritia ut pertinax est, ipsam remoratur, & rursus intercepta per obliquum digreditur. Ergo natura sicci crispi sunt: maxime tamen crispi sunt, qui calidi & sicci, adeò ut non iam siccitas, sed potius caliditas crispitudinis causa censeatur. Simile huic problemati fuit, quod in primo dictum est, an calidum, an potius siccum exiccet. utrunq; enim ab eodem pendet principio. Nam immediata obliquitatis causa est contractio. contractionis uerò ipsa exiccatio. Atqui per accidens & calidum quoq; contrahit, & in obliquum corpora torquet. Quando ergo nunc siccitas, nunc exhalationis infirmitas crispitudinis causa sit, oportet distinguere. nec est difficile. Nam quando exhalationis aut cutis siccitas in causa est, ferè coma densa est, ac satis craßa. ubi uerò ipsius exhalationis infirmitas, ferè tenuis est, & rara. Denique quibus ex obliquitate pori pilus fit crispus, ferè per omnia crispus. sed quibus ex siccitate magis in fine, iam hæc coma ferè flaua aut rufa, illa uerò insigniter nigra. hac de causa subinde puellis coma crispa similiter & flaua est: nec sine decoro, aut laude: nam ut infame est uirum eße effœminatum, ita illiberale est uirginem eße uiraginem. Credo hac occa-

sione factum esse, ut studio comam flauam & crispam puellæ sibi comparent, quibus natura negarit. Nã in bene natis aut simplicẽ esse oportet, aut crispam, sed flauam. eadem ratione promissam in puellis laudant: non enim ipsam decet natura siccam esse.

QVALES autem in radice finguntur, tales rationabile est perpetuò fore. Neque enim durorũ & siccorũ corporũ quippiã, nisi prius molliatur, fingi in rectũ potest.

Non tamen herbæ aut plantæ ad modum radicum suarum incuruantur, quibus antè pilos assimilant. Atque hæc est pilorum & plantarũ differentia. harum enim radices nunquam locũ mutant: sed pilorum radices tãdem sese exerũt, & quod in ijs primum fuit, demum in extremũ desinit. non enim more stirpium nutriuntur, sed tantum ruditer augentur. hoc est quod Galenus dixit, Totum interim propellitur, adeo ut cute exire cogatur iam lori formã adeptum. Vnum tantùm Galeno nostro addam, quòd ferè coma simplex sit circa principium: crispa autem magis in fine: & hoc mihi magnum est argumentũ, quòd & ipsi capilli tandem magis ac magis exiccentur.

ATQVE hæc quidem est pilorum generatio. Sequẽs est, ut causas omnium quæ temperamẽtis in pilorum pro ætate, regione, & corporis natura differentijs contingunt

gunt, dicamus. Ergo Aegyptij, Arabes, & Indi, omnes denique qui calidã & ſiccam regionem incolunt, nigros, exiguiq; incrementi, ſiccos, criſpos, & fragiles pilos habent.

Quatuor ſunt annotanda in pilis, color, figura, multitudo & paucitas, craßitudo & tenuitas. Iam craßitudo eſt duplex: quædam ſequitur alimenti copiam, quædam alimenti atq; adeo fuliginis craßitudinẽ. Verum ut hæc facile eſt uerbo tenus diuidere, ita quando craßitudo hoc, quando illud ſequitur, difficile eſt reuera diſtinguere: niſi quòd craßi ex copia alimenti, ijdem ſunt & multi: craßi uerò ex ſola fuliginis craßitudine poßunt eße pauci: ſic econtrario ſubtiles, ex inopia alimenti pauci, ex tenuitate humorũ poßunt eße multi, atq; ij cum quadam mollitie comati ſunt, ac ſubtile ingenium arguunt. Securior eſt diſtinctio, quòd qui ex craßitudine alimenti craßi ſint, ferè ijdem & duri, reliqui magis molles, non tamen ſubtiles: ex inopia alimenti ſemper duri, ſed ſubtiles: ex ſubtilitate alimenti ferè molles, aut potius mediocres. Reliquorum cauſæ ex prioribus ſatis notæ: proinde ad propoſitam dictionem redeamus, ubi eos qui calidam regionem inhabitant, ſuis pilis deſcribit. quòd autem ijs omnibus pilos nigros, ſiccos, criſpos tribuit, difficultate caret, & cum naturis cholericis conuenit: ſed dißidet quòd illi pilos te

n s nues

nues & exigui incrementi habent: nam contrà biliosi ex natura multos & craßos habent. Vellem quòd horum differentiam Galenus nobis reddidißet. Videtur mihi ex imparitate caloris euenire. Nam calida hominum complexio, multum relinquitur ab aëris æstu: atq; hic quidem alimentum pilorum digerit, illa uerò alimentũ suggerit. Ferri poteſt, quòd fragiles habent. Nam ijdem uidentur tenues, ex inopia alimenti, fragiles atque imbecilles. atq; hactenus pili istorum differunt ab illis qui ex natura ſunt bilioſi: nam horum pili multi, craßi, & robuſti.

CONTRA qui humidam frigidamq; regionem habitant, Illyrij, Germani, Sarmatæ, & omnis Schytica plaga, modicè auctiles, & graciles, & rectos, & rufos obtinent.

Differunt, quia horum pili ſimplices, albi, rufi, ſubflaui, uix tandem flaui conueniunt: quia & hi pilos habent modici incremẽti, & per conſequens graciles & imbecilles aut fragiles. Sunt autem modici incrementi, non quòd alimentum in illis abſumatur, ſed quòd in ijs alimentum deſideretur.

QVI uerò inter hos tẽperatum colunt tractum, hi pilos plurimi incrementi, & robuſtiſſimos, & modicè nigros, & mediocriter craſſos, tum nec prorſus criſpos, nec omnino rectos edunt.

Pilos habent plurimi incremēti respectu eorum qui prius dicti sunt, & regionem calidam inhabitant, aut frigidam. nam neq; ut hic deside ratur, neq; ut illic absumitur. Eadē ratione & robustos habent. nam qui affatim nutriuntur, crassi euadunt, & per consequens robusti: propterea mirum est, quòd ijs dedit robustissimos, sed duntaxat mediocriter crassos. certè utrunq; eodem modo afferendum apparet: nam nulla est regio quæ profert crassiores.

ET in ætatibus ad eundem modum, infantium quidem pili Germanis, florentium ætate Aethiopibus, epheborum & puerorum ijs qui temperatum locum incolunt, in robore, magnitudine, crassitudine, & colore ad portionem sese habent.

Bene facit, quando infantes conditione pilorum cōparat Germanis. Nam utrobique tenues, albi, rufi, & simplices, pauci. Sed ubi florētes cū Aethiopibus cōfert, duplex difficultas est. Prior, quòd florentes ætate nunc iuuenes appellare uidetur, quo nomine prius extremè adolescentes indicauit. Secunda est in ipsa re. nam licet ambo, hoc est Aethiopes & florentes, pilos habeant nigros, crispos, non tamen similiter crassos, aut robustos. nam Aethiopes tenues, fragiles, iuuenes uerò crassos & robustos. Magis mirum est, quòd & ephebos & pueros comparet cum ijs qui tem

peratum

peratum locum incolunt: nam tametsi per ephebos potuit intelligere extremè adolescentes, tamen pueri longè à temperatura absunt. Iam ipso dicente, pueri, imò etiam qui pubescere incipiunt, adhucdum paruos & imbecilles exigunt: & quomodo ergo cum ijs qui temperatum locum incolunt, confert? nam ijs pili robusti, crassi. Iam ne ipsos extremos adolescentes tanquam temperatos omnino, cum ijs, qui temperatum locum incolunt, comparare poßis. Nam temperati simpliciter neq; craßos, neq; robustos, sed mediocres, imò subtiles substantia pilos exigunt: temperata uerò regio respectu intemperatarum crassos ostendit. Nescio ergo quam hic excusationem iterum Galeno inueniam. uidetur mihi unus esse ex ijs locis, qui interiectus est, uel à Galeno obiter scriptus: nam in quibusdam, nõ autem omnibus, hæc comparatio seruari potest. Et quomodo ergo dixit, quòd in robore, craßitudine, magnitudine, & colore ad proportionem sese habent? nunquid ita dixit, quia aliter comparari inuicem non poßunt? Erit quibus hæc qualiscunque excusatio, magis placebit, quàm prior nostra audacia. ego autem miror, quòd nemo hos nodos deprehenderit, aut si quis deprehenderit, quòd dissimularit.

IN corporum quoque naturis ad ætatum & regionum portionem pili se habẽt. Pueri enim admodum parui nudi sunt pilis,

lis, quòd utique nec meatus adhuc ullus eis in cute eſt, nec fuliginoſum excremẽtum: incipientes autem pubeſcere, paruos & imbecilles exigunt.

Quòd pueri, & incipientes pubeſcere, paruos, tenues, & imbecilles pilos edunt, eſt uerum: uerum quòd in omnibus ætates & temperaturas ad regiones conferre poßis, falſum eſt: nam temperaturas & ætates inuicem potes comparare, neutras autem ad regiones in omnibus poteris aßimilare.

AT qui iam florẽt ualentiores, & multos, & magnos, & nigros habent, quòd & frequentes iam meatus ijs ſint facti, & fuliginoſis excrementis præ ſiccitate & calore abundent.

Et *quomodo ergo primum florentes comparauit* Aethiopibus? *certum autem eſt quòd nunc florentes iuuenes appellat: & proinde extremè adoleſcentes omiſit, niſi ſub ephebis continuerit: atque id eſt uériſimile. nihiloſecius difficile ætates cum regionibus comparabit: nam infantes cum frigidis hactenus poteſt, quòd infantes nũc amicè ſupponãtur frigidi. ubi uerò adoleſcentes cum temperatis, aut iuuenes cum* Indis *aut* Aethiopibus *conferet, laborabit: quippe calida & ſicca regio nutrimẽtum pilis exiguum relinquit: ætas uerò calida & ſicca liberaliter ſufficit: non ergo in calida & ſicca regione homines uehemẽ-*

ter

ter pilosi sunt, sed potius in temperata. Nam de Indis hic dicitur, quòd nigros habent, & exigui nutrimēti: de ijs uerò qui temperatum tractum incolunt, quòd plurimi incrementi, robustos ac mediocriter craßos: adolescentes uero ac iam pubescentes, ut postea dicitur, paruos edunt & imbecilles. Sed neq; iuuenes cum temperatis regionibus omnino conferre potes: tametsi enim utraque conditio pilos pariat multos, non tamen similiter crispos aut coloratos. Iam econtrario licet iuuenes comparentur cum Aethiopibus, pilorum crispitudine, colore, non tamen multitudine: ita & pueros in colore pilorum potes cum regionibus comparare, in robore tamen, craßitudine, & magnitudine, nequaquam: credo igitur confusam tātùm comparationem facere uoluit, aut qualem licuit. nam si ætates regionibus conferre uolueris, melius comparare non poteris, neque usquam exquisita in omnibus comparatio continget.

CAETERVM pili qui in capite, superciliјs, & cilijs habentur, etiam pueris nobis innascuntur. Siquidem generatio ijs est non qualis herbis, sed qualis stirpibus prima ratione à natura conditis, non temperamentum ex neceßitate sequentibus, sicuti in libris de usu particularum est mōstratū. Verum hi quoque quod quidē sint, id naturæ arti acceptum ferunt.

Pili

Pili in uniuerſo corpore non tam ſequuntur naturæ induſtriam, quàm temperamenti fortunam. argumẽto eſt, quòd mulieres pueri aliquot etiamdum uiri ijs carent: hac ratione & in uiris nullum ſeruãt limitem, ſed quemadmodum gramina, quæ ſponte proueniunt, abſque ordine errant, & quodam modo exorbitant, atque ſeminantur, aut ſeruntur: diſcrimina habent, & manifeſtum agnoſcas in illis ordinem: tales ſunt in capite, cilijs, ſupercilijs pili. nam & ij naturæ beneficio quodam modo conſiti ſunt, quadamq; ſeminaria facultate diſcreti. Circunſcribuntur enim ſuis limitibus. Nihiloſecius & ijs quoque natura ſeorſum ab alio corpore idoneam temperaturam accommodauit. Nam qualis eſt in adoleſcentia cutis uniuerſi corporis, talis ferme eſt in infantia cutis aliorum ſuperiorum, & præſertim capitis. & propterea mirum eſt, quòd Galenus illos duntaxat naturæ aſcribit, ac temperamenti rationem contemnit. Melius in XI. libro de uſu partium, in ſupercilijs ex ſubiecti natura id demonſtrauit: uerum quia in omnibus prima natura has partes præter reliquas inſigniter exiccauit, ut pilis ſtatim à natalibus idoneæ eſſent, in hoc loco potius naturæ ſtudio, quàm alicuius peculiaris temperaturæ (ita enim hunc locum accipio) beneficio acceptum tulit. Quod uerò non parum temperaturæ diſcrimina huc conferant, ex diuerſitate infantium agnoſces,

quorum

quorum alij alijs præcociores atq; serius comati euadunt: quemadmodum neq; calui eodem tempore fiunt, quippe & uiris quàm mulieribus coma est liberalior, licet his prolixior: sed neq; omnes uiri æqualem cæsariem producunt.

QVOD nigri, rufi'ue, uel alio quouis sint colore, id ætatis temperamento omnino debent. Subrufi enim ferè sunt: quoniam quod in meatibus est impactũ, nondum totum est nigrum: quippe cum humiditas multa sit, & trãsitus facilis, & deustio imbecilla.

Prius diximus, quòd nulli peculiari temperaturæ coma debetur: nam cuiuscunque temperaturæ fuerit corpus, in capite pilos edit: sed quòd præcociter aut copiosè exeant, quodq; hunc aut illum colorem obtineant, discrimini corporis debetur: oportet tamen & id primo in regionibus temperatis accipere. nam in intemperatis ferè unaquæque regio suo more pilos alterat: & Germanorum ferè in iuuentute rufi, Aethiopum nigri: proportionem tamẽ quandam accipere licet: non enim hic omnes biliosi, uel illic pituitosi. Minus id ad cætera animantia accommodare oportet, quòd hic pili potius cutis, quàm totius corporis conditionem comitantur: hominis enim cutis tenuis est, reliquorum uerò præsertim armentorum & iumentorum bene solida, quo fit ut nec caluitiem patiantur more hominum.

BON

BONI uerò incrementi & modicè crassi sunt, propter excrementorum, quibus aluntur, copiam: quippe ipsa pars corporis in qua fiunt, sicca est: tota nanq; calua ossea est. Cutis uerò quæ illi est circundata, tanto reliqua totius corporis cute est siccior, quanto etiam est durior. Ascendit tamen tum ab ijs quæ circa cerebrum sunt, tum uerò ex toto corpore fuliginosi excrementi non parua uis.

Fortè boni incrementi longos appellat: fortè etiam, ut sequens particula exponit, mediocriter crassos: fiunt autem tales ob alimenti liberalitatem, aut crassitudinem. Neq; est hoc alimētum, ipsius cutis tantum excrementum (quia expers ferè omnis proprij humoris est) sed abunde ad ipsum fertur ex cerebro, atque etiam ex profundo corpore: atque id magis biliosum est. aliquid tamen & ipsa cutis siccitas præstat, quo fit ut duobus modis ad generationem pilorum conferat, & loci opportunitate, & materiæ ubertate. prius enim in sicca quàm humida cute excrementum fuliginosum colligitur.

QVO fit ut quale ætate florentibus totum est corpus, eiusmodi iam infantibus sit capitis cutis.

Hoc & nos antè diximus: atq; unica causa est, quare ferè pueris pili in capite ac superciliјs connascuntur, qui in reliquo corpore non nisi in

ipsa

ipsa iuuentute sequuntur genitalibus uisceribus uires conquirentibus, per uniuersum corpus trãsfundentibus, & quodam modo exiccantibus.

EO'QVE rationabilius nonnulli procedente tempore calui redduntur, quibus scilicet à primo durior cutis erat. Quippe monstratum prius est, senescentium partes omnes siccescere. Fit autem cutis non paucis ueluti testacea, ubi supra iustum fuerit siccata. In ea uerò, sicuti ex prioribus constat, nihil nasci potest.

Quibus à principio cutis admodum fuit dura, ijs circa senectutem fit testacea: quapropter ut ij præcocius comati, ita etiam citius fiunt calui. Putat uulgus id ea ratione fieri, quia siccitas adueniens alimentum absumit. nam ut radices dum alimento fruuntur, pulchrè sese habent, & terram pertinaciter complectuntur: ita ubi alimento destituuntur, exanimes sunt, & à terra ultro discedunt. Hoc quomodo accipiam nescio. nam in senibus siccitas ignauior apparet, quàm quæ adueniens alimentum posit absumere: denique radices pilorum non complectuntur terram, ut radices plantarum, sed potius figuntur in cute, tãquam stylus in corpore solido: atq; hic primum stylus labefactatur, dum corpus solidũ attenuatur: ita & ego in senibus tum primùm pilos cadere puto, quando cutis, quæ antè fuit carnosa, nunc efficitur rara, abeunte carne,

quæ

quæ fuit illi prius subtexta. Poßet forsitan aliquis dicere, quòd licet pili propriè non nutriantur, quòd tamen ueteres illorum in meatu radices attenuentur, atq; ita neceße eße, ut decidant, nisi pro ueteribus attritis recentes ac solidiores succedant. Sed prior commentatio est uerisimilior. atque hæc de altera caluiciei causa. Est & altera apud Hippocratem in Epidemijs, ipsius cutis raritas, atque humorum subtilitas. atque hæc caluicies admodum præcox est. Distinguitur autem ab altera, quæ siccitatem sequitur, mollicie. nam ea admodum testacea est, hæc uerò nondum omnino dura est, imò subinde multis alijs humidior. Hoc modo multi ex præcipuis philosophis præmaturè calui fuere. Sic Hippocrates præcociter caluus legitur: Heliseus, & aliquot alij ex prophetis. Omitto nunc caluiciem, quæ immodicam Venerem sequitur. nam & ipsa cutem rarefacit: nescio tamen bene intelligere, quomodo humorum per ætatem uitium caluiciem faciat, nisi & hoc ipsum subiectam cutem ac porum corrumpat.

ITAQVE etiam interna manuum, & inferna pedum semper glabra & pilorũ expertia sunt, quòd siccissimus densissimusq; sit tendo is, qui sub cute habetur.

Tendonem, nõ autem cutem dicit. nam prius dictum est, quòd pars cutis, quæ intra manũ est, sit temperatißima.

QVIBVS autem ad ſummam ſiccitatem cutis capitis non peruenit, imbecilli his omnino, albiq; pili fiunt, quos uulgo canos appellant: imbecilli quidem conuenientis alimenti penuria: albi uerò propterea, quòd alimẽtum, quo alũtur, ueluti ſitus eſt pituitæ, quæ ſpatio computruit.

Non oportet cogitare, quòd pili foris corrumpantur deſiderio alimenti, quemadmodum in hyeme ſtirpes: quinimo id magis in ipſo meatu, quàm ipſa radice euenit. Iam neq; hoc alimentũ primum corrumpitur ſub ipſa cute, ſed uerisimiliter corruptum erat priuſquàm huc ueniebat: corruptio uerò hæc ipſam humiditatem ſequitur. Nec refert, quòd humiditas in iuuentute quàm ſenectute fuerit maior. nam prius huic dominabatur naturalis caliditas. hac uerò abeunte, neceſſum eſt, ut corruptionem ac ſitum quendam contrahat, ac quodam modo pituitoſum euadat.

VBI enim meatus etiamnum manet, excrementum uerò exiguum eſt, & lẽtum ac languidè à calore propellitur, non diſſimiliter putredine afficitur.

Duplicem hic apparet caniciei cauſam dicere, alimenti inopiam, & malitiam. Sed id quidẽ ſatis indiſtinctè ab eo dictum eſt.

IAM calui fiunt homines, cum ſeneſcunt, à ſincipite magis: caneſcunt magis à tempo-

temporibus: quoniam illud omnium capitis partium est siccissimũ. hæret enim cutis illic ossi nudo. Tempora uerò humidiora sunt, quòd in ijs musculi magni sub cute habeantur: omnis autem musculus carnosus sit. Caro tum osse, tum cute humidior.

Hæc maximè attestantur ijs quæ diximus, caluiciem siccitatem sequi, caniciem uerò magis uitiũ: proinde siccæ partes, citius caluiciem, humidæ uerò præcocius patiantur caniciem. Quòd igitur humida quædam animantia more humano non canescunt, in causa est excrementi craßitudo, & robur. Non caluescũt *autem, quia illorum pili in densiori tergore, more eorum qui in palpebris fixi sunt, firmam sedem habent: sinciput autem licet quidam ægrè ferant, nũc priorem capitis partem nominat, atque hæc quidem siccior est. interius tamen cerebrum hac parte, quàm posteriori humidius, propter sensus promptitudinem, qui ibi habitant, factum est: ob eam causam maximè ex carne est: nam carnis copia sensus atq; intellectum facilè obscurat.*

EST autem ei quod dicimus, diligenter attẽdendum, ne imprudentes nosmetipsos fallamus: sicuti se fallunt multi ex ijs qui optimi uisi sunt medici. Qui si quẽ caluum uiderint, statim huic siccum esse totius corporis temperamentũ putant. Neq; enim simpliciter ita coniectari oportebat,

ſed prius illud definire præſtiterat, humanum corpus in alijs æquabili per totũ temperamento eſſe, in alijs nec ijs paucis inæquabiliter eſſe affectum. Cum eorum aliæ particulæ mediocri & iuſto ſint humidiores, aliæ frigidiores, aliæ ſicciores, aliæ calidiores, aliæ prorſus temperatæ, ac mediocres. Porrò huic maximè attentos eſſe conuenit, ubi corporis temperiem æſtimamus.

Quòd totum corpus unam ſimpliciter intemperiem obtineat, impoßibile eſt: quòd uerò eiuſdem qualitatis exceßum pro ſua ratione unaquæque particula patiatur, fieri poteſt: & manifeſtum eſt in febribus, ubi tam frigidæ, quàm calidæ partes calore aliquo efferbuerunt. Idem & in ſanis euenire poteſt: non enim tantum hepar, ſed & cerebrum, & uenter, licet frigida ſint, aliquando plus caloris, quàm debent, continent. Idem ſimul facilè eueniet & in corde, & in teſtibus, quorum naturam uniuerſum corpus ſequitur. Eſt tamen ubi alia intemperies alteram particulam occupat: ſic hepar promptè excedit calido, uenter frigido, quamuis nimis ridiculum ſit, quòd uulgares quidam medici in ægris ſemper criminentur hepatis caliditatẽ, & uentris frigiditatem, qui naturalem temperaturam referunt, dum alij morboſam inquirunt.

QVIPPE ſi totum corpus æquabiliter conditum ſit, omnemq; partium inter

ſe com

ſe competentiam in latitudine, longitudine, & altitudine ſeruet, poteſt utique ęquabiliter attemperatum eſſe id corpus.

Si totũ corpus æquabiliter ſit conditum, hoc eſt, ſingulæ partes iuſtam ad ſe inuicem in figura & magnitudine competentiam ſeruant, magnum eſt æquabilis quoq; temperaturæ totius corporis argumentũ. nam (quod prius diximus) ægre corpus recte afformari poteſt per omnia, niſi temperies fuerit opportuna. quoniam temperies ſi non eſt figuræ principalis artifex, inſtrumentum tamen quodammodo eſt. Iam longitudo, latitudo, & profunditas, longè maiorem conſenſum habent cum temperatura, quàm reliquæ figuræ. Nam cerebrum bene temperatum & liberale, plerunque liberalem capitis magnitudinem facit. Certè cor calidum pectus expandit, frigiditas cõtrahit. Et hepar bene temperatum iuſtos lumbos efformat, ſiccum extenuat. & rurſum humiditas in longum, caliditas uerò in latum & profundũ corpus promouere idonea eſt.

AT ſi cui corpori thorax, collum, & humeri maximi ſunt, lumbi parui anguſtiq;, & crura gracilia atque ſicca, quomodo id dixeris omnibus particulis ſimiliter affectum? quin ſi crura ei craſſa ſint, & lumbi lati, thorax uerò anguſtus, ne id quidem omnibus partibus æquabiliter eſt temperatum. Sũt alia corpora quibus maximum

est caput,alia quib⁹ paruũ,quale passerib⁹. Iã crura alijs blæsa, alijs uara.Artuũ quoq; extrema alijs gracilia,alijs crassa.Et thorax alijs,ut dictũ est,latus,alijs tabulæ ritu angustus,quos Græci σανιώδεις uocãt.Vbi uerò opertæ scoptulę illis sine carne nudæq; planè sunt, & alarum more pronæ, nominantur à medicis eiusmodi naturæ Græcè πτερυγώδεις. Quantopere hæ sint uitiatæ deperdito his paulo minus omni interno thoracis spatio,quo pulmo & cor sunt sita, neminẽ latet.Innumeræ uerò aliæ particularum corporis planè affectiones sunt, ubi id à naturali analogia protinus in utero matris ad inæqualem intemperiem est mutatum.Minimè igitur in corporibus id genus ex unica particula coniectandum de toto est.

Non statim iniqua forma arguit iniquam intemperiem:ueruntamen gracilitas siccitatem significat, non quidem uniuersi corporis, sed eiusdem partis: sic & capitis magnitudo aliquando cerebri copiam ostendere potest,ac iustam eius temperiem,non tamen statim uniuersi corporis, aut etiam cordis: & rursum paruo existente capite,latus esse thorax potest:quippe ex cordis caliditate forsan accidit: non tamen statim & ipsum cerebrum calido excellit. Atque iterum angustia thoracis & eius gracilitas siccitatem

& frigidi

& frigiditatem cordis ſubinde indicat, non tamen ob id cerebri aut etiamdum uniuerſi corporis: & ſi gracilitas nuper contracta fuerit, morboſam, ſi uero ab ortu, natiuam ſiccitatem demonſtrat. Ita quibuſdam aut hectica febre aut alio modo contabeſcentibus, non ſoli humeri, ſed uniuerſus thorax anguſtus redditur, abſumente ſcilicet plus minus omnem carnẽ ſiccitate. Nam & ex natura tales quidam ſunt maxime ij, qui ad ptiſim procliues ſunt. Non ergo ex capite, non ex cute, non ex corde, multo minus ex unguibus uniuerſum hominem potes coniectare. quòd partes ſæpe inæquabiliter ſunt diſtemperatæ.

NEQVE enim hi, qui mores ex ingenio corporis docere profitentur, ſimpliciter de omnibus pronunciant: uerùm ipſi quoque experientia docti, ſi quis impenſe hirto eſt pectore, hunc audacem iudicant: ſin cruribus eſt hirtis, ſalacem: non tamẽ cauſam etiam adiiciunt. Neq; enim cũ pectus habere leoni ſimile dicunt, crura uero hirco, iam primam cauſam inuenerunt. Siquidem cur leo quidem audax, hircus uerò ſalax ſit, ratio etiam inueſtigandum exigit. Hactenus enim quod in re quidem fieri cernitur, dixere: cauſam tamen eius omiſere. Cæterum is qui naturali ſpeculatione eſt exercitatus, ſicuti aliorum omnium, ita horum quoque cauſas inuenire tentat. Pro

pterea enim quòd inæquali partium tempe ramento sunt non leo modò, & hircus, sed etiam cæterorum pleraque animalium, idcirco ad alias actiones aliud est pronum. Ac de his quidem Aristoteles cõmodè tractauit. Sed quod ad rẽ propositam est utile, id iam apparet, hominum scilicet tempe ramenta cõsiderantibus, singulas partium per se examinandas esse. Nec si cui thorax hirsutus est, huic totũ corpus calidius sicciusq; ex necessitate putandum, sed plurimum in corde caloris esse, eoq; audacem. Posse uerò aliquando etiam huius ipsius rei occasione accidere, quo minus totum his corpus similiter calidum siccumq; sit, quod scilicet plurimum caloris sursum huc spirauerit, atque in partem cõtinẽtem euacuatum sit.

Audaciæ causa est cor, salacitatis uerò ipsarum partium genitalium caliditas: hanc quidem arguit ipsorum crurum, illam uerò ipsius pectoris hispiditas. Qui ergo hirto pectore est, audax est, non statim salax: quemadmodum qui hispidis cruribus fuerit, salax est, non autem necessariò audax.

NAM si tota corporis temperies est æqualis, erit his statim thorax ipse uniuersus latissimus, uenę amplæ, arteriæ magnæ, eædem maximè uehementissimeq; pulsantes, tum

tum plurimi per totum corpus pili, atque hi quidem in capite plurimi incrementi, ni gri & criſpi utique in prima ætate, procedente uerò tẽpore caluicies excipiet.

Maximum, inquit Galenus alibi, calidi cordis indicium eſt thorax latus, capite exiſtente paruo: etenim magnitudo ipſius utrunque ſequitur principium. ergo uel ob cerebri copiam aliquando thorax augeri poterit, non tamen ſimul hirſutus erit. Sed ſi thorax ſimul latus & hirſutus fuerit, indubitatum ferè calidi cordis indicium. E` cõtrario de frigido ratiocinari oportet. ſed & multa alia huc referre poſſumus, quæ in Technam reſeruamus: ubi ex propoſito hæc demonſtrantur.

QVINETIAM eiuſmodi hominibus cum æqualiter ſint attemperati, & robuſtum, & exactè deliniatum, & muſculoſum totum erit corpus. Tum cutis nigrior, durior, atque hirſutior. Ad eundem modum ſi contraria omnia in thorace ſint, ac æqualis in toto corpore temperies uigeat: id eſt, ſi humidiores & frigidiores uniuerſæ corporis partes ſint, thorax quidem anguſtus, & glaber erit. Sicuti etiam totum corpus pilis nudum. Cutis uerò mollis, & alba. Capilli ſubrufi potiſſimum in iuuentute, hi in ſenectute non caluеſcunt, timidiq; ſtatim & ignaui & ſegnes, adde etiam paruis ue-

nis

nis ac minime conſpicuis, & adipoſi fiunt, ijdem neruis muſculiſq́; imbecillis, & artubus parum exactè delimatis & blæſis.

Calidos nunc cum frigidis comparat: etenim ex intemperie calidus ſimpliciter robuſtus non eſt: quoniam is, dicente Galeno in ſexto de ſanitate, neque athleta, neq; miles bonus, non foßor, meßor fortis aut arator: ſed ualentium iſta ſunt munera, ac eorum qui mediocri ſunt tẽperatura: at contrà temperati putãtur tenerrimi. Atq; hic uulgo parces: ſed quid facies celebribus medicis, qui ita ſentiunt? Veruntamen calidus robuſtior ac perfectior frigido: nam tametſi calor artifex non ſit, eſt tamen inſtrumentum. Hinc eſt quòd in frigido omnia obſcuriora: quippe & lineæ ipſæ blæſæ dicuntur, hoc eſt, imperfectæ uel curuæ: nam & calor ipſe eo rectius lineas dirigit, quo eſt fortior.

AT ubi uaria partiũ tẽperies eſt, ex una earum pronunciare de toto corpore non licet: ſed adeundæ ſingulæ ſunt, æſtimandumq́; quo temperamẽto uentriculus, quo pulmo, quo cerebrum ac reliquarum per ſe unaquæque ſeorſum ſit.

Peruerſa ergo admodũ uulgata eſt opinio eorum, qui unumquenq; ad unam ex nouem temperaturis exigunt. nam ſubinde uno uerbo dicere nõ licet: ſed cerebrum calidum, cor frigidum: atq; hepar rurſum calidum, uenter nõnunquàm

frigidus

frigidus:atque interim è contrario hic calidus, hepar uerò frigidum. Verùm ubi hepar & cor in una qualitate conueniunt, ferè reliquæ partes consentiunt:tam magna est amborum in uniuersum corpus potentia.

ATQVE hæc quidẽ ex functionibus noscenda, cum nec manuum cõtractione, nec oculorum inspectione inuenisse temperiem eorum sit. Simul autem pẽsitandus & cõtinẽtium ea partium affectus est:quarum omnium extrema est cutis.

Hoc est, si rectè memini, quòd alibi aliter dicit, quòd neque uisu, neque tactu hominis temperatura deprædhendi potest. nam præcipua uiscera quorum conditiones reliqua imitãtur, neutrum sensum subeunt. Hæc ergo ex operationum differentia, excrementis, & accidẽtibus reliquum est discernere. Exempli causa, alius somnus calidum, alius siccũ cerebrum sequitur. Sed & primariæ facultates in hoc multum dissident. Sic in aliis alia.

HAEC in nostra regione, quæ utique temperata est, subiectarum partium naturam prodit. Quanquam nec in ea simpliciter loquẽti omnium, sed duntaxat earum quæ similem habent cuti temperiem.

Putaret quispiam cutem ultra se nihil significare:propriam enim temperiem obtinet, quæ cum interioribus nihil habet commune. nam ne

que

que hepar cordis, neq; cor hepatis aut uentris temperaturam prodere potest. atqui res aliter se habet, idq; ob duplicem causam. Altera est, quia cutis, ut reliqua omnia, ferè cor & hepar imitatur. Secunda ex accidente quodam pẽdet. facile enim interiorum uiscera suo halitu tempe riem cutis in calore & frigore mutant.

AT in his quæ sub Vrsa & sub Meridie sunt locis, quoniam corporum quæ in alte ro sunt, calor in altum à circundãte extrin secus & uincente frigore est fugatus, alterorum in cutem ab extremo calore attractus prodijt: non potest ex eo affectu, qui in cute cernitur, internarum particularum temperies clarè discerni. Quippe corporis temperies, in regionibus ijs quæ à temperie recesserunt, inæqualis uisitur, externis scilicet internísque partibus ad eundem se modum non habentibus. Gallis enim, & Germanis, & omni Thracio ac Scythico generi frigida humidaq; cutis est, ideoq; etiam mollis, alba, & pilis nuda.

Quòd in regionibus frigidis interiora caleãt, exteriora frigeant: in calidis econtrario exteriora caleant, interna contrà se habeant, simpliciter uerum nõ est. Nam uel hic interiora uiscera nostris simpliciter sunt calidiora, quãdo de tem peraturis loquimur, aut illarum discrimina definimus. Et ut diuersitatem regionum omittamus,

mus, non quidem in hyeme, sed æstate uiscera interiora efferuent, ac magis calida sunt: adeo ego miror quòd Galenus hanc exceptionem fecerit. Veruntamen sanguis nobis magis, quàm illis, abundat: & propterea Germanos calore interno, Aethiopes ascititio exuperare dicit. Fortè hoc annotauit Galenus, neque in calida regione, neque frigida exteriorum proportionem esse cum interioribus. Nam licet apud nos hactenus utraque pars tam interna, quàm externa frigida, interna tamen minus: per accidens enim concursu caloris calefit. Iam aëris frigiditas magis obtundit calorem externarum partium, quàm interiorum uiscerum. E contrario oportet dicere de calore eorum qui habitant sub Meridie.

OMNIS uerò naturalis his calor in uiscera unà cum sanguine confugit, ubi dum agitatur, & premitur, & feruet, iracundi, audaces & præcipitis consilij redduntur. Aethiopibus uerò & Arabibus, omnibus denique ijs qui ad Meridiem incolunt, natura cutis, ex ambientis æstu & naturali calore foras acto, usta, dura, sicca, & nigra redditur, toto corpore naturalis quidem caloris exiguam obtinente portionem, sed alieno atque ascititio incalescẽte. Quippe id quoq; ab Aristotele in multis est traditum: estq; illi, si alteri ulli, attendendum: ac in singulis corporibus æstimandum, suône

ne & proprio, an ascititio calore incaleant. Quæ enim putrescunt omnia ascititio calore sunt calida, proprio frigent. Qui meridianam plagam incolunt, ascititio calore sunt calidi, proprio frigidi.

Quòd qui Septentrionem, atq; adeo ipsam Europam incolũt, audaciores sint quàm Aethiopes, ipse Galenus nũc dicit. dixit Hippocrates in libro de aëre & aqua, quòd etiã sint magis bellicosi. Cum ipso Galeno uidentur pugnare ea quæ in Techna definiuntur, ubi audacia auditur inter signa calidi cordis: quale in calidis regionibus potius, quàm frigidis cor eßе diximus. Miror quòd ne hunc quidem locum aliquis ante nos annotarit. Mihi profectò durior apparet: atq; ego contrà ausim dicere, quòd Aethiopes, & Arabes eßẽt audaciores, Europæi uerò magis bellicosi atque animosi: quippe caliditas causa audaciæ, sed sanguinis collecti copia ipsius animi. Itaq; in frigidis licet sanguis tardius accenditur, semel accensus difficilius extinguitur. qua de causa non solùm temperatis, sed & biliosis ferociores reperiuntur. Fateor in temperatis sanguinis copia fortè æqualis est, non tamen eodem modo circa cor congesta est. Accedit & altera ab Hippocrate causa dicta: quia qui in Septentrione, atq; adeo in Europa degũt, iis qui in Asia morantur, grauiores temporũ mutationes subeunt: unde corpora magis indurata, atque ad

omnem

omnē laborem magis opportuna atque pertinacia exhibēt. Hoc modo & Celſus membrum de bile obfirmari, atque indurari dicit, ſi quidem nunc obijciatur calori, nunc frigori: id tamē paulatim & cum quodam diſcrimine facere oportet: nam ſi ab altero extremo ſtatim ad alterum ipſum traducatur, ut ferrum quod frigida ſtringitur, nunc flamma uritur, corpus quoque emollitur. Neſcio tamen qua ratione Titus Liuius Alpina corpora ſuis comparauit niuibus, atque earum exemplo ſtatim ubi pugna incaluere, in ſudorem abire, & leui motu quaſi ſole laxari dixit. Nam id præſertim calidis ex natura uſu uenit, niſi ſtudio aliter aſsueuerint. Videtur huc tādem & ipſe Galenus accedere, qui dum cauſam inquirit, cur Germani natura frigidi, audaces ſint: reddit, quia omnis naturalis calor his in uiſcera fugit. Igitur ſi apertè loqui uelimus, inueniemus Aſianos magis in primo congreſſu audaces, ſed Europæos magis animoſos.

IAM apud nos quoque naturalis calor hyeme eſt uberior, adſcititius minor. Aeſtate contrà adſcititius maior, naturalis minor. Omnia nāq; hæc definiat oportet, qui rectè temperamentum eſt cogniturus.

Tempore hyemis pro concoctione liberaliore ſanguis colligitur uberior, in æſtate collectus diſſoluitur: non tamen ob id temperatura æſtate frigidior, ſed calidior, adeo parum id ad differen-

tiam genuinæ temperaturæ pertinet.

NEQVE enim omnino ſi cutis nigrior apparet, iam totus homo calidior eſt: ſed ſi ita eſt cæteris omnibus ſimili modo ſe habentibus: ſiquidē ſi alter in ſole uerſatus diutius eſt, alter in umbra, illi nigrior huic albior cutis erit. Verū hoc ad totius temperamenti alterationē nihil facit. ipſa nãq; cutis ſub ſole diutius habita ſiccior, in umbra humidior euadet. Non tamen naturalis tēperies uel iecinoris, uel cordis, uel alterius cuiuſquã uiſceris ſtatim mutabitur.

Promptè hic externa cutis uitiatur, non tamen interna uiſcera ad eundem modū alterantur. Nam horum alteratio multo tempore indiget: refringitur enim nonnihil aëris uis priuſquã ad interiora traducitur, ſaltem integer eò non peruenit.

OPTIMVM igitur fuerit, ſicuti prius dictum eſt, cuiuſq; ſeorſum particulæ temperamenti notas comparaſſe. Verbi gratia uentriculi, ſi is bene concoquit, quòd temperatus ſit, ſin non bene concoquit, intemperatus: ſi nidoroſos quoſdam uel fumoſos edit ructus, quòd igneus in eo calor & immoderatus ſit: ſin acidos, imbecillus & infirmus. Simili modo ſi qui bubulam, & omnia quæ concoctu difficilia ſunt, concoquūt, quòd eorum calor immodicus ſit.

ſi qui

si qui hæc concoquere non ualent, sed pisces saxatiles, & talia concoquunt, infirmus.

Certissima est interiorum uiscerum ex quotidianis operationibus notitia. nam extemporanea non semper genuinum temperamentum sequitur: subinde accidens tantum. exempli causa, si quidem uenter ad omnia mediocriter sese habet, temperatus est: si uerò quibusdam offenditur, intẽperatus. uerbi causa, humidi delectantur omnibus humidis, offenduntur siccis: cõtrario alius delectatur siccis, & offenditur humidis. sic pueri lacte fruuntur, & pane siligineo, iuuenes uero nuces & huiusmodi fructus relinquimus, & ad solidiorem cibum ferimur. Sic omnino melius dura coquit calidus quàm frigidus, præsertim in eadem regione. Nec id temere dico. Nam Aethiopes carnem bubulam grauatius ferunt quàm Germani: atq; id per accidens euenit: quia illis copia sanguinis multo minor est, in quo præcipuum concoctionis instrumentũ habitat, temperaturæ uerò secundum, argumento quòd uenter meliorem concoctionem obit nocte, quàm interdiu: attamen temperatura eadẽ manet.

VIDENDVM autẽ his rursum, nũ succi alicui⁹, qui aliũde cõfluat, culpa eiusmodi symptoma uẽtriculo accidat. Alijs enim ex capite pituita, alijs flaua ex iecinore

bilis in uentriculum cõfluit, rarum tamen hoc cernitur, & paucissimis contingere.

Secundo agnoscitur temperamentum ab excrementis. huc referuntur ructus: uerum illi primarium temperamentum non semper sequuntur: subinde succorum in uentre malitiam: insipidi, acidi, atq; magis ij qui ipsum cibum reddũt, humores frigidos, fumosi uerò calidos significãt. imò quod magis admiraberis, & fumosi aliquãdo frigidos quoq; comitantur, sed rarius, ubi scilicet pituita simplex non est, sed temporis spatio corrupta, qua ratione & linguam aridam efficit, eadem sitim in hydropicis parit, & urinam non secus quàm bilis tingit. Nam pars putrescentis in choleram uertitur, quemadmodum sub statu quotidianæ uidere est. Distinguit autem hæc temporis interuallum. nõ enim ructus fumosi in principio humores frigidos sequuntur, sed temporis spatio.

AT compluribus è capite defluit pituita.

Fere id cum nausea fit, nec sine deglutione quidem: deglutionem uero aluus motus uoluntarius præcedit. Itaq; subinde delapsa pituita à nobis expuitur, priusquam illabitur: aliquando nobis inscijs descendit.

ATQVE id maximè Romæ, ac locis perinde humidis. Cęterũ & quod rarò accidit, cõsiderandũ: nihilq; pro superfluo habendum

bendum aut negligendum.

Siccus aër, sæpe diximus, corpus ab excrementis liberat, humidus onerat: sub hoc ergo caput ad distillationes admodum idoneum, quippe & alibi primum ferè grauatur ante alias corporis particulas.

SIQVIDEM ipse uidi quibusdã perquàm pituitosis hominibus, multam tamẽ in uentriculo colligi flauam bilem: quam cum ante cibum aqua uinóue epoto euomere debuissent, si quid ciborum priusquam uomerent gustassent, & hos corrumperent, & capite dolerent, cũ hos quidam natura biliosos esse crederent. Quanquàm essent toto corpore molles, & candidi, & glabri, & adiposi, & uenis, ac musculis parum conspicuis, præterea exangues, nec tangentibus admodum calidi. Vidi & qui bilem nunquam uomuerunt, qui tamen & graciles, & hirsuti, & musculosi, & nigri, & uenosi fuerunt, affatimq; calidi, si quis tangeret, uidebantur. Cuiusmodi habitu Eudemus philosophus erat. Sed incidit hoc loco speculatio quędam anatomica, id est, quæ ad corporum dissectionem pertinet, quam aliqui medicorum ignorãtes ex symptomatum dissonãtia magnopere anguntur, dum parum intelligunt meatum illum, per quem iecur bilem in uentriculum euomit

mit, alijs geminũ esse, alijs unicũ. Id quod in quadrupedum dissectionibus uidere licet. Ac plurimũ quidem unicus is est in id intestinum, quod pylori, id est exitus fundi uentris, & ieiuni medium est insertus. Græci mediũ id γαστρὸς ἔκφυσιν, quasi quiddam è uentre enatum uocant: uel si geminus meatus sit, in ἔκφυσιν illam maior inseritur, minor in fundum uentriculi paulo supra pylorum inuenitur: sed tamen in paucissimis superior pars maior, inferior minor. Cæterum quibus est maior, his in uentrem quotidie non exiguum bilis effunditur, quam & euomant ante cibos oportet, & nisi id faciant, læduntur. Quibus autem unicus est omnino meatus, his tota bilis confluit in ieiunum. Quanam igitur ratione dignoscere hos licebit? Neque enim dissecandos uiuos esse censeo.

Non potest uenter uehementer esse frigidus, cuius tota natura est calida: nec rursum admodum calidus, cuius uniuersum propemodum corpus est frigidum. Si quando ergo in his bilis per uentrem exuperet, non est hoc efferuentis caliditatis, sed iniquæ ascendentis bilis signum: cuius causa est, quòd porus qui ad pylorum ire debebat, ad uentrem deducitur, aut saltem maior est. at de ijs clarius Galenus, quàm ut illustratione egeat. Similis est hodie multorum error,

qui

qui ex frequente pituitæ pitißatione totum cerebrum pituitosum definiunt.

PRIMVM certè totius corporis temperamento, ueluti paulo suprà est proposi tum.

Non potest, diximus, uniuersum corpus pituitosum eßse, ac uenter insigniter calidus. promptius enim uenter quàm habitus uniuersi corporis, hepatis, ac cordis temperaturam sequitur.

DEINDE ijs quæ infrà excernuntur. Eudemus enim biliosa mera perpetuo per sedem excernebat, utpote qui multam collegit bilem, cuius nihil in superiorem uentrem peruenit. Reliquis, qui scilicet & pituitoso erant corporis habitu, & bilem uomebant, his haudquaquam aluus erat biliosa. Quippe cum & minimũ flauæ bilis gignerent, & eius plurima portio in superiorem uentrem perueniret.

Bilis ab uniuerso corpore promptius deorsum quàm sursum effertur: quapropter illa, quæ per superna expurgatur, tantùm fortunam ipsius meatus, non autem caloris magnitudinẽ arguit.

TERTIVM notæ genus est in ipsis uacuatis: nam quibus in uẽtre biliosum excrementum gignitur, id porri uirorem pręfert.

Quòd uiridis magnum aliquem coloris excessum sequitur, manifestum est: si quidem ad ni-

grum uia quædam ac medium est:propterea mirum est quòd hæc sæpius in uentre fiat, quàm in hepate:nam quoduis hepar etiamdum frigidum quouis calidissimo uentre calidius est. ergo longè alterius substantiæ sit oportet is,qui in hepate est,ab eo qui in uentre. Facile Auicenna rescindit hunc nodum.nam porraceam choleram non quidem ex natura,sed permistione uiridem putat. at hic laborabit, cur potius in uentre, quàm hepate hæc miscella fiat. Vt intelligamus ergo idipsum,meminisse oportet eorum, quæ in Problematibus Aristotelis diximus,aut propius accipere ea,quæ in principio huius libri sunt relata:ubi hoc demonstratum est,quòd longè aliter nos afficit idẽ calor, in aqua,& in ferro.ita nunc calorem hepatis aëri, uentris uerò ferro compararim aut lapidi: nam & ipsius uentris intemperati calor mordax, hepatis uerò suauis est:& proinde bilem potius flauam, quàm porraceam parit,nisi fortè aliundè illius calor exasperetur.nam & hic efficere uiridem potest,non tamen ex quouis succo,sed ex ea quæ prius flaua fuerat:& in hoc quoque à calore stomachi differt:nam is succum uentris subinde immediatè in uiridẽ bilem mutat priusquam flaua euadat.

AT quibus ex iecinore descendit, his uel plane flauum est, uel omnino saltem pallidum.

Definitione sermo hic opus habet:nam in præ

sagijs

ſagijs uiridem quoq; aliquando in uenis Galenus generat, atque in uẽtrem deriuat. ergo oportet id tanquam rarius accipere, aut effectus hepatis atq; uenarum ipſius diſtinguere. atq; hoc uidetur mihi potius. Nam uenæ ad morem uentris frigidæ & ſiccæ: hepar uero calidum & humidum.

PRAETEREA quibus in uẽtriculo bilis illa gignitur, quæ porri colorẽ imitatur, debet omnino is cibus fuiſſe nõ panis, nõ ſuilla caro, ſimiléue aliquid, ſed neceſſario aliquid quod his calidius fuit, neque id boni ſucci. Quibus autẽ ex iecinore in uẽtrẽ defluxit, his flaua ea pallidáue euomitur, etiam ſi boni in primis ſucci fuit quod ſumpſerũt, etiã ſi ad ſummũ fuit cõcoctũ. imò magis ipſis qui ad unguem concoxerunt, flaua uomuntur. Atque etiam magis his, qui diutius cibo abſtinuerunt.

Hoc eſt quartum cæteris efficacius, quòd diſtinguit choleram, quæ in uentre gignitur, ab ea quæ ex uenis deducitur, quòd non ex quouis, ſed leuiore tantum alimento ipſa generatur, ac, ut ipſe appellat, mali ſucci. Sic Galenus in præſagijs & ex holeribus, & reliquis uiridibus eam maximè fieri autumat: ergo mali ſucci ea intelligit, quæ facilè corrumpuntur, aut aliquem ſuccum acrem continent. Non enim credo, quòd Galenus hanc bilem ex omnibus uiridibus gene

rat, sed tantum acrioribus, & quæ malum succum continent.

QVAE uerò bilis porrum refert, ijs solis gignitur in uentre, qui utique concoxerunt male.

Duo sunt qui malè concoquunt, qui imperfectè, & qui uitiatè: quo modo nunc eos male coquere audimus, qui ipsum alimentum corrumpunt, & in extraneam qualitatem uertunt.

QVINETIAM solicitudo, ira, dolor, labor, exercitatio, uigilia, abstinentia, & inedia succi flauæ bilis plus aceruãt, propterea quòd plus eius succi in iecinore gignunt.

Quòd hæc incalfaciant, & exiccant, certum est: uerum cur potius hepar, quàm uentrem alterent, nondum dictum est: reuera neutrum uiscus statim incalfaciunt, sed sanguinem acriorem reddunt: atque hac ratione potius flauam bilem, quàm uiridem augent: atq; etiamdum hepar magis quàm uentrem incalfaciunt.

SVNT igitur tũ hæc certa indicia, tum ad hæc, quòd ubi siccum & igneum uentriculi calorem conuersio ad biliosum sequitur, panis & suilla & bubula caro commodius quàm saxatiles pisces concoquentur. Cum si ex iecinore bilis affluat, ex comestorum mutatione nulla sequuta sit concoctionis diuersitas. Atque his quidem discernitur

cernitur, quòd non temperamenti, ſed alterius cuiuſquam gratia prouenit.

Mirum eſt, quòd paulò antè Galenus, non quemuis cibum, ſed calidiorem in porraceam bilem uerti dixit. nam piſces ſaxatiles frigidi. ergo de ijs quæ facilè concoquuntur, intelligi oportet, qualia plerunque calida exiſtunt: interim tamen & frigida, ac quædam ex ijs boni ſucci ſunt. Quocirca intelligere oportet, quòd non omne alimentum boni ſucci hîc toleratur, tantū illud quod ſoliditatem & firmitatem quandā habet: nam & lac & oua hîc facile corrumpuntur, & tamen inter ea quæ boni ſunt ſucci, æſtimantur. nam talia appellamus omnia, quæ ex ſe ſuccum bonum præbent, eumq́; multum.

AD eundem modum ſi defluens à capite in uentrē pituita acidi ructus cauſa eſt. Cōueniet ſimili ratione hic quoque à uentris proprio affectu hanc diſcernere.

An temperies ſola, an humoribus coniuncta cibi concoctionem infirmat, atque acidos ructus edat: ex ijs quæ Galenus in primo de locis affectis ſcripſit, colliges: quippe in ſola tēperie uentris excrementa prodeunt admodum ſicca, alibi uerò uidentur diluta ac humore ſubmerſa. Sed nūc difficile eſt cognoſcere, an hic humor in uentre generetur, an à capite deriuetur. Non enim tot inuenies, quot prius ſignorum differentias. Neque enim diuerſa eſt pituita, quæ illinc deſcendit,

dit, ab ea quæ illic naſcitur: ergo ſeorſum capitis rationem æſtimare oportet, ſi nūc idoneè ad hoc ſeſe habet, nec omnino occulta ſint illius indicia: nam cum nauſea atque raucedine ferè deſcēdit, & quod magis eſt, ipſe defluxus ferè à nobis percipitur.

AEQVE uerò & capitis dolores ex propriáne eius intemperie, an propter uentris aliqua excrementa incidant, diſcernendi. Iam cerebrum ipſum cuius ſis temperamenti, per ſe ęſtimare eſt ſatius, quàm ex totius corporis affectu.

Si quidem uenter ſuo fungitur munere, fruſtra redarguitur ab affectibus capitis: neque iterum ſi illius aliquod munus læſum depræhenditur, ſtatim offenſi capitis cauſa eſt. Nam contrà forſitan caput uentrem uitiauit. Diſtinguere ergo oportet, utrum prius ſuſpectum fuerit, quamuis longè alia ſint ſymptomata uaporum ex ſtomacho aſcendentium, alia ex capite ad uentrem defluentium. Atque diſtillationis quidem ſigna antè dicta ſunt: doloris uerò capitis à uentre incipientis hoc peculiare eſt, quòd per alimentum multum, qui uerò primariè ex capite oritur, parum emendatur. Hoc ergo ſignum potiſſimum conſiderare oportet, ubi ſimul eueniunt. commune hoc ſignum eſt, & ad alios uentris affectus. nam qui primaria ratione uentris fiunt, minuit uictus ratio: qui uero à capite imminent, parum

uictui

uictui cedunt.

IPSIVS autẽ per ſe conſideratio ex canicie, catarrhis, tuſſi, diſtillatione, & ſaliuę copia initur. Quippe quæ omnia id frigidius humidiusq; eſſe doceāt. Atque his amplius ſi ex leui qualibet occaſione, in hos deuenit affectus. At caluicies ex ſiccitate prouenit.

Non ſunt humidi ſimilariter, hoc eſt, proprijs particulis, ſed inſtrumentaliter. eſt tamen & illud uerum, quòd duorum ſenum is ferè, qui frequentius capitur deſtillatione, ſit uel ſimilariter humidior. De frigiditate nulla eſt difficultas. Adeò ergo non poſſumus mirari eos, qui caliditatem cerebri nonnunquam cauſam deſtillationis exiſtimant. Satis autem eos redarguit ea, quæ in aëre fiunt, grando, nix, pluuia. hæc enim omnia frigiditate aëris eueniunt, neq; quicquam præter frigidum uapores condenſare poteſt. Fateor tamen aliquando & uapor ex ſola natura in loco tepido poteſt concreſcere, & fumus in cerebro eius qui febricitat condenſari. Sed de his in libro de ſymptomatum cauſis liberalius.

NIGRORVM autem & frequẽtium pilorum prouentus ęqualis in cerebro temperamenti nota eſt.

Alibi dicit flauorum, ac reuera in temperata natura temperatæ ætatis potius flaui, quàm nigri ſunt: poſtmodum tamen modicè nigreſcunt,

quod

quod nunc illum dicere puto: nam neque in iuuentute, ſed ſenectute calui & cani ſimus.

ERGO ad hunc modũ de temperamentis ineunda nobis conſideratio eſt, quamq; ſcilicet particulam ſeorſum perpendentibus, nec auſis ex una pronunciare de omnibus. Quod utique nonnulli fecerũt, qui reſimos humidos, aduncos ſiccos eſſe dixerunt: ut quibus parui ſunt oculi, ſiccos: quibus magni, humidos. Atque de hoc quidẽ parum inter eos conuenit. Alij nanq; eorum, qui ſcilicet humidis particulis oculos annumerant, ubi eos maiores uident, in ijs humiditatem temperamenti pollere exiſtimant. Alij caloris uehementia, qui in prima formatione ſurſum cõfertim magis copioſiorq; ferebatur, non oculos modò, uerũ etiam os ipſum, & reliquos omnes meatus ampliores factos aiunt: ita non humiditatis id, ſed caloris indicium eſſe. Verũ ambo à ueritate aberrant, uno modo cóque communi, quòd unius particulæ occaſione de toto corpore pronunciare ſunt auſi.

Non audet Galenus aſſerere magnos oculos humidos aut calidos, neque rurſum paruos ſiccos aut frigidos: nec immerito: quoniam tam magni quàm parui bene ac male temperati eſſe poſſunt. eſt enim formator alius quàm ipſa temperies: ueruntamen humiditas materia quædam

eſt,

est, calor autem ipsius formatoris instrumentum quoddam: adeo ut plerunque magni oculi humidos arguunt, parui siccos: & rursum nasus resimus humiditatem, aduncus uerò ipsius siccitatem denotat, sed illius solius. neque enim totũ hominem ex una parte, neque (ut in prouerbio est) leonẽ securè ex unguibus æstimes: imò etiã fieri potest, ut ipse nasus simus siccus sit: siquidẽ illius materia multa, sed sicca: & econtrario si humida & pauca fuerit, contingere potest, ut nasus sit aquilinus uel aduncus.

ALTERO, quòd formatricis in natura uirtutis, quæ artifex facultas est, & particulas secundum animi mores effingit, parum meminerunt. De hac nanque Aristoteles dubitauit, nunquid diuinioris originis sit, atque à calido, frigido, humido & sicco res diuersa. quo mihi minus rectè facere uidentur, qui tam temere de rebus maximis pronunciant, & solis qualitatibus formandarum partium causam adsignant.

Potest id trifariam accipi. Primum in diuersis speciebus, quarum diuersa est natura: scilicet aliud est studium ipsorũ piscium, aliud quadrupedum, & iuxta hæc unumquodq; habet determinata organa, ac instrumenta. Idem etiam in eadem specie uisitur, scilicet alius audax, alius timidus: & diuersis ambo constant musculis: nam hi enerues, illi uerò sunt robusti. Potes tertio

tio id ad figuram ac formam trahere. nam ferè lineæ, frons, uultus mores arguunt, & rursum iuxta ipsos forma uariat. Non sortita est tamen hæc uirtus formatiua intellectum, tantum abest ut mores præsentes agnosceret, aut futuros præsciret, uel iuxta hoc corporis particulas quasi ex proposito compararet: sed id euenit, quia magna ex parte, ut diximus, ipsa uirtus formatiua materiam ad quod maximè opportuna, atque idonea est, effigiat. est autem sicca materia magis idonea ad aduncum, quàm resimum.

RATIONABILE enim est hæc organa esse formatorem alium.

Si quidem idem cum qualitatibus artifex esset, semper cum optima temperie, optima figura eßet, & econtrario: atque iterum cum peßima figura, peßima tẽperies perpetua eßet, atq; econuerso: quorum omniũ nos antè contrarium ostendimus. nam subinde separãtur: quapropter alius ac magis diuinus formæ artifex. non enim temere ab antiquis dictum est, Homo *hominem generat, & sol. Quòd autem aliud sit ipsius formæ quàm qualitas principium, ex eo constat, quòd sæpe partus (circuncisis etiam omnibus accidentibus, quæ ex phantasia pendent) neque patri assimilatur, neq; matri. proinde aliud quàm in ipso semine principium inquirendum est.* Imo *si alteri parentum, nunc huic, nunc illi conceptus comparatur, non est hoc, quia ipsa qualitas sit*

primum

primum eius principium, ſed quia ipſius ſeminis motus ſit iuxta ipſius ſeminis ac ſanguinis naturam. etenim ſemen & ſpiritus quandam imaginem patris ac matris retinet. quàm facilè autem hic ſpiritus mouetur uel alteratur, ex eius natura intelliges, quam cum radijs aßimulamus ſolaribus. Magis id agnoſces, quòd uel matris phantaſia facilimè ad fœtum tranſeat. Magis eſt admirabile, quòd & color ipſius fœtus ſubinde mutetur pro phantaſia ipſius matris. non enim is uidetur ſequi motum ſeminis aut ſpiritus, ſed complexionem tantum. An ſicuti facies ſubito redditur in ſpeculo, ita phantaſia matris in ſpiritu? Differentia eſt, quòd hic ſpeciem retinet, illud uerò ſtatim amittit. Nam quomodo alioquin Aethiops frigidus ex ſemine frigido, Germano eßet nigrior, ex ſemine ſubinde multum feruido?

SED & citra tam arduas quæſtiones inuenire licet, ſicut oſtẽdimus, humidam, ſiccam, frigidam calidamq; temperiem. Errant igitur qui propriis indiciis neglectis ad ea quæ lõgè poſita ſunt, & magnæ quæſtioni fuerunt, atque ad hunc uſque diem optimis philoſophorũ dubitata ſunt, conuertuntur.

Quatuor ſignis, ubi ſermo ad extremum uenit, temperaturas diiudicamus, ab eßentia, idq; tactu, ab operationibus, ab excrementis, nouißimè ab accidentibus, non quidem omnibus, ſed ne

ceßariò concomitantibus: quapropter ab his figuram ſeparamus, ut quæ temperaturam non ſemper comitatur.

NEQVE enim propterea quòd pueri naſis ſunt magis reſimis, florẽtes ætate magis adũcis, idcirco rationabile eſt reſimos omnes humidos cenſere, aduncos ſiccos. Sed fieri poteſt, ut formatricis uirtutis eiuſmodi opus ſit potius, quàm temperamẽti. Quòd ſi tẽperamenti eſt nota, at certè eius quod in naſo tantũ habetur, nõ eius quod in toto corpore, nota fuerit.

Sed et ſequela, Vniuerſum corpus humidum eſt, aut ſiccum, ergo & naſus: ſed non econuerſo: ergo quæ hic ducitur comparatio, æqua non eſt.

QVARE illud fruſtra prædicant in ſiccis natura temperamentis, naſum acutum, oculos cauos, tempora collapſa, quòd ſcilicet in affectibus iis quę corpora liquant, atque ſuprà quàm par eſt, inaniunt, hæc contingant. Sæpe nanque ſic accidit, ſæpe non ita. Sed uidere licet totius corporis habitũ, & mollem, & pinguem, & album, & carnoſum, cum tamen oculi ſunt parui, & naſus acutus. Rurſum ſiccum, macilentum, nigrum, & hirſutum, ubi magni ſunt oculi, & naſus reſimus. Præſtat igitur, ſi quidem de ſolo agitur naſo, ut ex reſimo humiditatẽ, ex eo adunco ſiccitatem coniectes. Nec de

totius

totius animantis temperie ex his particulis pronuncies. Pari modo oculorum, & alterius cuiuslibet partis propriũ tẽperamentum ex propriis indiciis ęstimare est satius. Ergo de totius corporis temperie non rectè ab una quapiam particula iudicium sumitur.

Neque hæc conuenit sequela: nam febris in qua huiusmodi facies uisitur, ferè uniuersum corpus colliquat: non tamen in sanis siccitas, quæ unam aliquam partem obtinet, æqualiter uniuersum corpus occupat.

CVM siue humoris uincentis, siue caloris, siue etiam amborum cæsios oculos indicium statuere oportet, utique proprii ipsorũ, sic nõ omnium totius corporis partium temperamenti documentum erunt. Neque enim si dura & macra crura sunt, omnino siccum est totius corporis temperamentum.

Pilorum colore ferè nullum animal tam uariat, quàm homo. nam multæ species eundem colorem exhibent. certè aues in sua specie perpetuò sunt concolores: ita & oculis plusquam reliqua animantia homo uariat. cætera enim animantia præter equum, ferè eundem oculorum colorem habent: at homo multam in ijs uarietatẽ patitur, quia uariè admodum præ reliquis animantibus temperatus est: scilicet oculis nunc est

cæruleis, nunc nigris, fuluis, aut caprinis: ac cæruleus quidem (nunc cæsius, alibi glaucus dicitur) tenuis humoris puritatem, niger multitudinem ac impuritatem arguit. Sed quia multa supersunt de oculorum coloribus, nos in Technam reseruamus.

ALII nanque affatim carnosi, & pingues, & crassi, & prominẽte uentre, & molles, & candidi, etiam cum eiusmodi cruribus cernuntur. Verum si totius corporis tẽperies pari ratione se habeat, sicci omnino sunt quibus macra crura, humidi quibus crassa. Præterea quibus acutus est nasus aut aduncus, hi sicci: quibus resimus, humidi. Ad eũdem modum de oculis, temporibus, cæteris deniq; omnibus particulis iudicandum. Quibus uerò impar temperamentum est, nec omnium particularũ idẽ, alienũ à ratione est ex unicæ particulæ natura de omnibus sententiam ferre.

Id *tamen ferè, non nisi in ÿs, qui suspectæ sanitatis sunt, euenit.* Nam *alioqui causa, quæ reliquum corpus carnosum reddit, usque ad crura facilè promouet.*

PORRO tale quippiam plurimis eorum imposuit, cum non de hominum modo, sed etiam aliorũ animalium totius corporis temperamento ex indiciis quæ in cute tantum spectantur, iudicium ferre sunt ausi

ausi. Neque enim si dura cutis est, necessariò siccum est animans: sed fieri potest, ut tantum cutis sic sit affecta. Sed nec si nigra hæc, hirtáue est, simili modo. Nec si mollis hæc, depilísue est, humidum ex necessitate totum est animal. uerum si per totum ęquabiliter est attemperatum, ratio est, ut qualis sit cutis, talis sit & reliquarũ partiũ unaquæque: sin inæqualiter, non item. Quippe ostrearum totum corpus humidissimum est, cutis ipsa siccissima. Est enim ijs qua teguntur testa, cuiusmodi est nobis cutis. Atque hinc illis Græcè nomen: ὀστρακόδερμα enim nomminantur omnia eiusmodi animantia, propterea quòd cutis ijs ὄστρακο, id est testæ adsimilis. Iam malocostraca, id est, quæ molli testa integuntur, ueluti marinæ locustæ, & gammari, & cancri, cutem quidem habent siccam, reliquam uniuersam temperiem humidam. Imò uerò illud ipsum humiditatis in carne nonnunquam animalibus causa est, quòd siccam terrenamq; portionem natura his uniuersam circa cutem reponit. Non est igitur putãdum, nec quòd cutis ostreis sicca est, ilico carnẽ quoque esse siccam: nec quòd hæc præhumida mucosaq; est, iam cutem quoq; eiusmodi esse. Quippe æquum est quanque particulam ex se ipsa dignosci.

Pisces sunt quadruplices, molles, squammosi, crustati (quos nunc malocostracos appellat) testacei: molles durissima ferme carne præditi sunt: econtrario testacei mollissima: nam in his quicquid durum est, tanquam alienum ab internis partibus repudiatur, atq; foras mittitur. Habent tamen & crustati carnem potentia siccam: quare cum hic eam Galenus humidam asserit, iuxta phantasiam intelligit: nam simpliciter humida illorum caro apparet, certè alijs piscibus multo mollior: quanquam in hoc cum testaceis conueniunt, quòd ambo, ut Galenus inquit, succum modicum, salsum, concoctu difficilem continent. Proinde ego recentiores medicos cum aliquot ueteribus miror, qui consumptos & tabidos horum succo tentant recreare. Nam & Paulus Aegineta septimo libro, pisces testaceos crassum succum gignere dicit. atque omnino inter pisces primum locum seruant saxatiles, marinos sequuntur fluuiales, nouissimo loco statuuntur palustres. In unaquaq; tamen specie præ cæteris commendantur squammosi, ac natura parui. Periclitatur ergo uulgaris opinio, quæ pisciculum, quem uulgus halecem appellat, damnat, modo recens fuerit. nam quod facilè corrumpitur, ipsum facile concoqui arguit, tantum abest ut illum damnet. Recens ergo facilis, sed sale maceratus omnem succum amittit. Sed hæc præter propositum. nam ad libros salu-

bres

bres attinent.

ERGO tum in his peccant ij, qui commentarios de temperamẽtis nobis reliquerunt, tum quòd id amittunt, quod Hippocrates rectiſſimè admonuit, Spectãdũ eſſe, ex quibus, in quæ, mutationes ſunt factę. Fit enim non raro ut pręſens nota prioris temperamenti ſit, non eius quod in corpore nunc habeatur: ueluti ſi quis annos natus ſexaginta denſo pilo ſit, non quòd calidus & ſiccus nunc ſit, ſed quòd antea talis fuerit. Conſiſtunt autem ei prius geniti pili.

Signa ſæpe iuxta uarietatem ætatum ſuam ſignificationem uariant: peccant ergo qui ex uno paßim ſigno eandem temperaturam arguunt. Neq; enim multitudo ac criſpitudo capillorum quamuis ætatem ſupputat calidam, ſed iuuentutem tantum: quæ uerò hanc ſequitur, melancholica eſt: ultima eſt pituitoſa: cani tamen præcociter, non tantum præſentem, ſed & priores ferè ætates omnes rememorant frigidas.

AD eundem modum, quo herbæ quæ uere ſunt enatæ, nonnunquam perſeuerant æſtate. Alijs enim ſpatio & paulatim contigit à plurima illa hirtitate mutari, labẽtibus ſcilicet præ nimia ſiccitate pilis. Alijs diutiſſimè pili permanent, utiq; qui nec in

processu temporis admodum siccantur, & à primo ualentem habuerunt originem arborum ritu, quarum radices in terra ualenter compræhenderunt.

Non est omnino æqua comparatio. nam radices plantarum tantisper dum uiuunt, naturali quodam complexu pertinaciter terram complectuntur, emortuæ uerò ultro discedunt. at pili non nutriuntur simpliciter, sed more pali alicuius, nunc in solido, nunc in molli figuntur.

CAVE igitur, si quemadmodum pilosum uideas, hunc statim melãcholicum putes: sed si quidem floret adhuc ætas, nondum esse talem: sin iam declinat, melancholicũ existima: at si senex est, nõ item. fiunt nanq; melancholica temperaméta ex sanguinis adustione.

Non solo frigido & sicco consistit melancholica temperatura, sed & sanguinis aut potius choleræ adustione, quæ in atram choleram uertitur. sed non sufficit in senibus calor ipsam exurere: itaque senes manent frigidi & sicci, nõ tamẽ melancholici.

CAETERVM cũ id pati incipit, non statim est percoctus: uerum hirtus abunde qui calidus & siccus est, celeriter erit, si modo eorũ quę proposita sunt, meminimus. Non ilico melãcholicus: quippe cutis densitas crassiorum excrementorum trãsitum

remorans

remorans in temperamentis, quæ calida in summo sunt, comburi ea cogit. Ita fit ut tale ijs nunc sit excrementum, quod pilos creat, quale olim procedēte tempore in uasis sanguinis est futurum.

Biliosus in iuuentute euadit hirtus, non tamē melancholicus: citius enim comburitur nutrimētum pilorum quàm reliquum sanguinis excrementum: quia illud fuliginosum est, atque comburi idoneum. Iam bilis per uniuersum corpus cum mitiori sanguine diffluit, fuligo uerò in extremis immota moratur. Difficilior est quæstio, cur hæc fuligo unde pili oriuntur, potius comburitur tempore consistentis ætatis, quàm iuuentutis. nūquid ob eam causam, quia sanguis hic paulo manet mitior & dilutior, an quia habitus euasit densior? Sed de his alibi plura.

TVM hęc igitur omissa prioribus sunt, tum pręter hæc quòd ex natura excrementorum indefinitè de temperamentis pronunciant. Putant enim particularum temperiem, similem esse cum excrementorum natura. Id uerò usquequaque uerum non est, sed fieri interim potest, ut pituitosa excrementa colligantur, nec tamen humida sit particula, imò frigida omnino, humida uero non omnino: quippe cū siccam quoque esse liceat. Quod autem eis imposuit, facilè animaduertitur. Non enim no-

runt quòd ex cibis, nequaquam ex corpore nostro pituita fit. Quare nihil miri est, si ubi ingestos cibos (qui fortasse humidi natura sint) corpus nō uincit, simile ijs ipsum quoque excrementum creet. Non est igitur quod opinentur, tanquā corpus siccum est, itidem excrementum quoque esse siccum. Etenim si quis ab initio sicciore frigidioreq; temperamento statim fuit, is non melancholicus est, sed utique ab excrementis pituitosus.

Cur senes aridi, excrementis abundent humidis, Galenus uidetur dubitasse, ac tandem ad solam fortunatam ciborum humiditatem causam retulisse. Verum tametsi senes perpetuò uterentur sicco ac calido uictu, abundarent tamen excremento humido. Nam magna frigiditas aquæ cognata est, dum calorem infirmat, qui cōcoctionem molitur: plures superfluitates etiam humidas generat, quàm humiditas. atq; hæc præcipue causa est, cur senes atq; aliter frigidi, tamē sicci, pituita laborent.

QVOD si ex habitus mutatione frigidus siccusq; est redditus, necessariò hic talis iam etiam melancholicus est: uerbi gratia, si quis antè calidus & siccus ex sanguine urendo plurimam generauit atram bilem: etenim is præterquam quòd siccus est & frigidus, protinus etiam melancholicus.

Non

Nõ is qui à principio frigidus & ſiccus naſcitur, melancholicus eſt, ſed qui per ætatem talis euadit. Diſcriminis cauſa eſt, quia in hoc cholera aduritur, illic uerò calor ſuauior quàm qui cholerã multã gignat, aut genitam adurat. Grauior ergo cauſa eſt, cur potius in declinãtibus quàm iuuenibus cholera aduratur, quum hic calor fortior. atque huius quidem cauſam nunquam ab alio accepi, ſed ipſe aliàs aliud ſuſpicatus ſum. Nec mirum, nam & Galenus ſuper ea re dubitaſſe uidetur, in quibuſdam etiam locis ſuſpectam rationẽ reddidit: quippe ubi hãc melancholiam cum ea, quæ in autumno gignitur, cõparat, illius principium in iuuentute, ſicut alterius in æſtate apparet ſtatuere. Cõparatio utraque ex parte eſt mihi ſuſpecta. non enim uerum eſt, quòd melãcholia quæ in autumno urget, proficiſcatur ex bile, quæ in æſtate initium cepit: multo minus melancholia, quæ in declinãte ætate apparet ex bile, quæ in iuuentute cepit, inchoatur. Interim tamen ſemper eadem quæſtio imminet, cur potius hic quàm in iuuentute, ubi feruor maior, ipſa uratur. Ac mihi quidẽ diuerſitate choleræ fieri apparet. non enim quæuis bilis ad atram idonea eſt, ſed craſſa tantum, utpote uitellina: ac talis quidem gignitur in declinante ætate, tenuior autem in iuuentute. Hæc mihi quidem præcipua eius rei cauſa æſtimatur: neminem enim ante nos hæc diſtinxiſſe animaduer

maduertimus.quapropter si quis error commissus sit,facilius condonari debet.maluimus enim etiam cum periculo nostro earum ratiocinationum aliquod rudimentum facere, quàm more aliorum simpliciter dißimulare.

SIN à principio frigidus & siccus fuit, habitus quidem corporis eius,albus, mollis,depilis,uenis articulisq́; parum expressis, gracilis & tangenti frigidus,animus uerò minimè audax & timens,& tristis , non tamen huic excremēta melancholica sunt. In his igitur omnibus peccāt plerique medicorum ex eo quòd proprias notas respuunt,atque ad ea quæ non perpetuò,sed frequenter accidunt,conuertuntur.

Non est hic à principio melancholicus, sed frigidus & siccus tantum, talis tamen succedente ætate euadet.Nam ut alibi dictum est,horum calor crescit.certè ut iuuentus biliosa efficitur, ita declinās ætas quodammodo melancholica, in senectute uerò secunda talis eße desinit. non enim melancholicus,sed pituitosius sanguis hic conspicitur: quia deferuescente in senio ætate, iterum frigidus euadit,unde & senes ad omnem obstructionem opportuni sunt.habēt uerò & serosum succum plurimum, qui fortaße dilutioris in eis sanguinis phantasiam exhibet.

EIVSDEM erroris occasione , & quod excalfacit, id etiam siccare omnino

putant

putant. (hoc enim ueluti coronide, summaq; uniuersi sermonis, addito secundum iam librũ finire statui.) Quippe phlegmone obsessas partes calida perfundẽtes aqua, atque ita uacuari ab ijs humorem cernentes, clarè indicatum arbitrantur, siccitatem omnino calori succedere. Neque id modo ubi cum siccitate is, uerum etiam ubi cum humore est coniunctus. Cæterum non est idem uel uacuasse ab aliquo humorem qui locis quibusdã sit dispersus, uel propriam particulæ alicuius temperiem sicciorẽ reddidisse. Siquidem inæqualis quædam in his quæ phlegmone laborant partibus, intemperies est, similaribus scilicet corporibus à proprio temperamento nondum amotis, sed assiduè adhuc in mutatione atq; alteratione uersatis, omnibus nimirum interpositis inter eas spatiolis fluxione refertis. Quæcunq; igitur calida humidaq; natura sunt, cum sic affectis admouentur, ipsa quidem superuacanea, quæ media similarium spatia occuparunt, euocant. Corpora tamen ipsa tantum abest ut siccent, ut etiam illis humorem adiiciant.

Quòd calidum coniunctum humido humectet, præterquàm quòd incalfaciat, antè demonstratum est. hoc etiam fomentum ex aqua dulci in partibus phlegmone uexatis manifestè ostendit

dit.unde quaſdam acres ſuperfluitates (nam naturales pertinacius hærent) euocat,quãquàm nonnihil ſui humoris inſinuat,non eſt tamen hæc humiditas naturalis,ſed externa.

AC ipſa quidem ueritas ita ſe habet.Demonſtratio tamen dictis (*euidens*) requiritur.uerum eam cum & longiorem exiſtimem,quàm ut huic libro inſeratur,& auditorem deſideret,qui medicamentorum facultatis ſit non ignarus,in pręſens differo. Cæterum ubi in tertio libro de omni temperamentorum genere tractauero,ac deijs quę poteſtate calida, frigida,humida,ſiccaq́; ſunt,omnẽ methodũ indicauero,mox integrum libellum ſcribere de inæquali intemperie decreui. Quippe ſic abſoluetur à nobis uniuerſa de temperamentis diſceptatio(*tũ ad libros de medicamentis,tũ*)ad medendi methodum non parum adferet commodi.

Hanc demonſtrationem eſſe molitur in primo de Simplicibus ex diuerſis aquæ potabilis & marinæ effectibus. Aliter enim afficiuntur hydropici ab hac,aliter ab illa: & rurſum aliter afficiuntur in mari ulcera piſcatorum, aliter balneo dilutorum.Iam aqua potabilis ſitim ſedat,marina prouocat.Conſtat ergo,quòd hæc exiccat,illa uerò humectat.

HIERE

HIEREMIAE THRIVERI BRACHELII COMMENTARII IN LIBRUM TERTIUM GALENI DE TEMPERAMENTIS.



C QVO'D energia siue actu calidorum, frigidorum, humidorum, & siccorũ, unum quodque tale esse dicatur, uel quod summam habet eiusmodi qualitatem, uel quod uincit in eo id genus qualitatum aliqua, uel quod ad cognati generis mediocre aliquid, uel ad unũ quodlibet à nobis sit collatum, prius est traditum. Monstratum præterea est quemadmodum ea quis agnoscere possit exactè. Reliquum est ut de iis, quæ talia potestate sunt, disseramus: si tamẽ prius explicuerimus, quid ipso potestatis nomine significetur. Est autẽ breuis eius & facilima & clara explicatio: quippe qđ quale dicitur, tale nõ dũ est, sed potest tale esse, id hoc esse potestate dicimus: hominẽ, uerbigratia, qui modò

do natus fuit, rationalem, & auem uolatilem, & canem uenaticum, & equum celerem, ſcilicet quod eorum unumquodque futurum omnino eſt, ſi nihil id extrinſecus impediat, hoc ceu iam id ſit appellantes. Vnde (arbitror) hæc eſſe poteſtate, non actu dicimus. perfectum nanque eſt ac iam præſens ipſa energia (*ſiue quod actu eſt*). Quod uerò poteſtate eſt, imperfectum, & adhuc futurũ, atque ut fiat quidem id quod dicitur, ueluti habile, nõ tamen adhuc ſub ſiſtens. Siquidem nec infans rationalis iam eſt, ſed talis futurus: nec qui modò editus eſt canis uenator, qui ſcilicet adhuc non uideat, ſed quod uenari queat, ſi ad iuſtũ per ueniat incrementum, ſic nominatur.

Quòd actu, phantaſia, aut energia dicitur calidum, frigidum, humidum, aut ſiccum, manifeſtas habet notas. Horum *enim qualitates nuſquam non agunt, etiam citra ullã alterius elaborationem.* Ob*ſcurior eſt eorum, quæ talia poteſtate aut uirtute dicuntur, definitio.* Galenus *ea talia dici putat, quòd ex leuiſsima occaſione talia fieri poſsint.* N*eque nos de nomine contendere poſsumus, ſed ipſa ratio parum reſpondere apparet.* N*on enim medicamenta calida ſemper eam qualitatem manifeſtam habent, iuxta poteſtatem, quam exercent.* M*agnum eius rei argumentum, quòd frigida ſub tepore ipſo,* Galeno *dicente,*

dicente, infrigident, & rursum medicamenta calida sub eodem tepore insigniter incalfaciant, priusquam ipsa talia actu euadant. Non enim credo Galenus dicet, quòd piper, eruca, aut thlapsi in acres & uitiosos humores uertuntur, priusquam corpus immutent. Nam ipso dicente, quæ purè medicamenta sunt, nusquam talem elaborationem à corpore patiuntur. Iam eadem medicamenta foris apposita, atq; intrò aßumpta eodem modo corpus incalfaciunt, & tamen foris nullam substantiæ mutationem subeunt: fortè ergo integra manent: sed nescio quid amplius caloris conquirunt, quomodo & multa alia calida minimo accepto initio, in ignem conuertuntur: atque hoc quidem argumentum est, in quo Galenus fidit quàm maximè. Atqui ipse, si uelit, à nobis uicißim audiat, quòd id tantum illis contingit qui formam mutant: nunc medicamenta apposita, etiam si ulcerent, tamen priorem faciem retinent. Amplius quæ hic mutata sunt, omnibus apparent talia. Verum siue zinziber, siue piper, siue aliud quiddam calidum quispiam manderit, ipse quidem eius calorem sentit: sed siue in suam siue alterius manum expuerit, nullũ penitus calorem exhibet. Quòd si emplastra quædam detracta feruida apparent, non diu ipsum feruorem retinent, sed auulsa statim deponunt, manifesto argumẽto, quòd ipsa nequaquã pro sua natura accensa sunt, sed ex fotu corporis

illum calorem obiter ſint ſortita, alioquin ad naturam ſemel relata, illam diutius, imò perpetuò retinerent: quippe & aqua ſemel refrigerata, non ultro, ſed duntaxat alterius feruore accenditur: at medicamentorum calor iterum facilimè, & breuiſſimè, idq́; per ſe, extinguitur. Quocirca certum eſt, quòd is nequaquam naturalis, ſed accidentalis exiſtit. nam ipſo dicente, facilè perit acquiſititius affectus. Nō *ergo hæc medicamenta aliam naturam induerunt, ſed per accidens talia euaſerunt.* Fortè *calcem mihi obijcietis (nihil enim diſſimulare uolo) quæ licet incalefacta, tamen & ipſa tandem extinguitur, atque ultro refrigeratur.* Verùm *id nequaquam ſubitò euenit, ſed longo pòſt tempore: fortè diſſlata quæ erat in ea portione calida.* Sed *neque in hoc multúm debent confidere noſtri aduerſarij: nam ſi pergant contendere, fortè & in ipſa calce, nedum alijs medicamentis, calorem accidentalem faciunt: denique medicamenta ſemel refrigerata, iterum tamen appoſita, rurſum efferuent, atqui calx ſemel extincta non amplius accenditur, & tamen ſemper calx etiam extincta quandam caliditatem retinet, qua corpus poteſt incalfacere.* Iam *& calx & alia medicamenta urētia, etiam demortuum cadauer incalfaciūt, exiccant & ulcerant. non eſt ergo ueriſimile, quòd ſui caloris aliunde atque à nobis initium ſumant.* Minus *eſt credibile, quòd in medicamen-*

tis

tis frigidis calor latentem frigiditatem exuscitet. Fortè ut calx aqua accenditur, ita frigida contendes prouocari à calidis. Sed alibi, credo, diximus, quòd hoc potius debetur humiditati aquæ, quàm frigiditati, quomodo forsitan & in hecticis calore ac cibo efflorescit. Præsens est argumentum, quòd non solum hoc facit aqua frigida, sed & tepida & calida. Quòd si quispiam tam pertinax sit, ut hæc omnia impudenter asserere ausit, non tamen puto, & de medicamentis siccis, fortè in secundo aut tertio dicet, quòd hæc omnia in puluerem & scrobem attenuari debent, priusquam quicquam exercent: quoniam multi succi manifestè exiccant. Hæc ergo omnia proficiscuntur ab indicibili quadã proprietate, quæ rursus cœlestem sequitur facultatem. Eôdẽ & illud pertinet, quòd quædam in corporis nostri substantiam abeunt, quædam lõgissimè discedunt: neq; aliam rationem reddere possis cur quædam in calidiorem, quædam in frigidiorem humorem abeunt. Non enim ob eam causam aues quædam calidum sanguinem gignunt, quia uiuæ erant admodum calidæ: sed quia talem facultatem à cœlestibus sint sortitæ. Nam in mortuis manifestè calor decessit. Sed & unum alterum altero calidiorem sanguinem facit, & tamẽ utrunque existit frigidum. Igitur & eorum quæ syncerè medicamenta existunt, potentiæ ab astris, non autem elementis proficiscuntur: ac si

uerum uelimus dicere, & clarè loqui, nequaquã temperamentum, sed facultates appellabimus: nec mirũ, si sint occultæ: talis enim est & ipsorũ qualitas unde oritur. Nam neque sol caliditatẽ, neq; luna humiditatem manifestam in se habet: quamuis luna humectandi, & sol calefaciendi uim quotidie ostendat. Neque has tantum potentias, sed & multas alias, quas uulgus indicibiles proprietates appellat, ab his procedere certum est, formam uerò fortaßis ab utrisque, & ab elementorum complexione, & cœlestium conditione. Quare uerum non erit, quod multi hactenus putauerunt, proprietatem nihil aliud esse quàm indicibilem temperaturã, aut id solum, quod temperaturam continenter sequitur. Nam cœlestium rationem etiam comitatur, atq; hoc est quod à physicis dictum, Homo hominem generat & sol. Elementa fortè inuitis astrologis temperaturam sibi uendicant, astra uerò reliquas potentias, ac magna ex parte ipsas proprietates: qua de caußa euenit, quòd sensum subterfugiãt. Nam, ut diximus, nulla in astris caliditas manifesta, aut frigiditas reperitur, sed potentia tantùm. Eodem modo medicamentorum potentiæ, neque euidentes neq; elementares, sed diuinitus, hoc est, ab astris apparent ingenitæ, quæ tamen à primariјs suis causis differunt, quòd hæ quæ cœlestes sunt, ubique suæ facultatis specimen edunt: sed quæ in medicamentis habitant, non nisi

nisi tandem suam potentiam insinuant. Nec mirum id est, quoniam potentiæ medicaminum in cœlestibus nec eædem nec æquales omnino sunt. Omitto nunc, quòd neque sol semper ipse nos incalfaciat: potest enim nubibus impediri. Situs etiam eius quo nos respicit, plurimum momenti habet, tantum abest ut medicamentorum secundæ potentiæ semper suam facultatem prodere debeāt. Sed fiunt hæc omnia pro diuersitate potentiarum, quæ in astris aliam atque aliam comparationem habent. Iustum tamen est problema, ecquid hæ mirabiles uirtutes potius plantis & lapidibus quàm ipsis animalibus insint, nunquid ob eam causam id euenit, quia animantia sensibus, inanimata uerò obnoxia cœlestibus? Ita & irrationabilia animantia magis præsentiunt tempestates, quàm rationabilia. Iam ne id quidem uerum est, quòd ijs uirtutibus omnia carent. nam & ex animantibus multa medicamina accipies, ex homine tamen paucissima. Neque nunc quicquam (puto) reliquum est, quod hanc nostram opinionem redarguat, quod saltē ex ijs quæ nunc diximus, non possis clarè dispescere. Galeni uerò opinionem satis suspectam faciunt tot impedimēta, in quæ ipse impingit, ac à quibus per multos labores & diuerticula sese tandem asserere nequit: nimirum uerum nō nisi uero consentit, sed falso omnia uera dissident ac dissentiunt, ex quibus erroris phantasiam faci-

le colliges: atque hæc nunc nobis sufficerent, sed propter tenuiores atque imbecilliores præstat ut & singulatim singulas orationis Galeni prosequamur particulas.

AC maximè quidem propriè sola ea potestate esse dicimus, in quibus natura ipsa suopte impetu ad absolutioné uenit, utique si nihil ei extrinsecus impedimento sit.

Ergo *iuxta ipsum medicamenta propriè non dicentur hoc modo calida aut frigida: non enim ultro ipso dicente has qualitates aßequuntur, sed aliunde aliquod momentum nacta demum accenduntur. & fortè calida à calore suum in corpore initum accipiunt. sed unde precor frigida aut sicca? nunquid & ijs calor noster principium siccitatis aut frigiditatis donabit?*

PRAETEREA quæcunque fientium (ut sic dicam) continêtes materię sunt: nec refert cõtinentes, an conuenientes, an proprias dicas: quippe quũ ex omnibus indicetur quod propinquũ est, quodq; nec alia intercedête mutatione sic dicitur: uerbi gratia, cũ sanguiné potestate carné appellas, quoniam minimã mutationé ad carnis generationem requirat. At non qui in uentriculo habetur concoctus cibus continens carnis materia est, sed prius fit sanguis oportet. Longius etiam absunt maza & pa-

nis

nis, quippe quę ut caro fiant, certas sui mutationes requirant. Cæterum hæc quoque omnia potestate caro dicuntur. Etiam ante hæc ignis, aër, aqua, & terra. Etiam horum ipsorum communis materia. Atque hęc quidem omnia magis minúsue loquentibus abusiue nobis dicuntur.

Ne hic quidem modus medicamentis conuenit, sed uictui, qui nunc in calidiorem, nunc in frigidiorem sanguinem uertitur.

PRIMVS autem modus eorum, quæ potestate esse aliquid dicuntur, maximè est proprius. Proximus huic est eorũ quæ sunt propinqua materia, ueluti si fumidam exhalationẽ flammam esse, aut halitum aërẽ potestate dixeris. Dicitur autem aliquando potestate esse, et quod ei quod ex accidenti dicitur, est ex aduerso positum: ut si carnosi quis iuuenis in frigida lauationem corpus eius ex accidenti, nõ ex propria potestate, calfacere dicat. Ergo tot modis etiã potestate calida, frigida, humida, & sicca dicantur.

Hic solus tertius modus purè medicamentis conuenit: propterea mirum est, quòd Galenus medicamenta potius ad secundum modũ, quàm hunc refere uoluerit.

DVBITABITVR quoque non absurdè, cur castoreum, uel euphorbium, uel

pyrethrum, uel struthion, uel nitrum, uel mysi calida esse dicamus. Rursus lactucam uel cicutam, uel mandragoram, uel salamã drã, uel papauer frigida: utrúmne sub prædictis iam modis compræhendantur, an alia quapiam ratione dicãtur, quę dicta nõdum sit. Bitumen nanque, resina, & seuũ, & oleũ, & pix calida potestate sũt, quòd utiq; energia calida celerrimè fiant. Etenim celerrimè inflammantur. Præterea cum corporibus nostris admouentur, ea manifestè calfaciunt.

Non est unum genus medicamentorum calidorum, sed quoddam est quod promptè in flammam uertitur ac ignem, atq; id est quod sine controuersia potestate calidum autumat.

AT chalcitis, mysi, sinapi, nitrum, acoron, meon, costus, & pyrethrum, cum nobis sunt admota, calida uidentur, alia magis, alia minus: non tamẽ sunt idonea quæ in flammam uertantur. An igitur seipsos fallunt qui id solum æstimant? Nunquid aliqua nõ facile in flammam transmutẽtur? quos utique nõ sic, sed an non uertantur in prunam, æstimare oportebat: cũ sit pruna ignis non minus quàm flamma. Hoc tamen discrimine, quòd aëre uel aëreo quopiam in ignem mutato, flãma: terra, uel terrea re aliqua accensa, fit pruna. Atque hactenus

nus quidem consentire secum sermo omnino uidetur. Siquidem uidentur medicamēta ea quę ubi ignem attigerint, facile accenduntur, nos quoq; excalfacere, nisi si quod propter crassitiem intra corpus non facile assumitur. Differetur enim de ijs latius in libris de medicamentorum uiribus.

Hoc est secundum genus, quod licet prædictis sit calidius, multo ægrius tamen in flammā uertitur, propter quæ in definitione potestate calidorum, non tantum addidit ea quæ promptè uertuntur in flammam, sed & ea quæ in prunam. Verùm hæc responsio nullo modo tolerari poterit. nam frigida medicamenta quædam nihilo segnius in prunam uertuntur, quàm hæc calida, scilicet calamus cicutæ nihilo difficilius quàm urticæ in ignem uertitur. Sed neq; apud se Galenus fuit, cum hæc responderet. nam iuxta suam hypothesim nō est necessariū, ut statim in ignem uertantur, satis est ut quouis alio modo euadant calida.

QVAECVNQVE tamē medicamenta nostrum corpus excalfacere uidentur, ea promptè uertuntur in ignem.

Id manifestè falsum est. nam calx multo difficilius accenditur, quàm calamus auenæ: aut ordei, quàm uinum, aut etiamdum ipsum mel.

AT quomodo igitur inquiunt tangentibus nō sentiuntur calida? Hoc haud scio

cur dicant. Nam si energia ac iam nunc calidum esse prædictorum quodque diceremus, profectò mirari liceret, quomodo tangentibus non appareāt calida. Nunc quòd possint facile calida esse, idcirco ea potestate talia uocamus. Itaq; nihil miri, si eos qui se tangunt, nōdum calfaciant. Veluti enim nec ignis ipse augetur, priusquam uicta ab eo ligna sint mutata: quod aliquo temporis spatio omnino fit: ita nec animantium calor à medicamentis, nisi illa prius ab ipso sint mutata.

Ista posset esse ratio, cur non sentiuntur calida ab initio, uerum ubi cœperunt semel incalfacere. Si quidem, ut ipse dicit, in illis calidum elementum exuperet, debebant & quoduis aliud corpus incalfacere. Atqui ecōtrario euenit. nam piper, zinziber licet commansum, sed exputum, tamen sentitur frigidum.

QVIPPE alio genere calefit is, qui ab igne uel sole intepescit. alio is qui à prædictorum quouis medicamētorum. Illa nanque actu sunt calida, medicamenta nequaquam.

Id manifestum est mendacium, & contra omnium physicorum sententiam, qui dißerunt, (& est uerißimum) quòd corpora cœlestia sint omnis qualitatis expertia: & quomodo ergo sol actu calidus est? Igitur si quidem ex elementis

hanc

hanc facultatem medicamenta obtinerēt, talia omnino ſentiri deberēt: ſed nunc cōtrà ex aſtris acceperunt, quapropter more ſuarum cauſarum ſenſum latent.

ITAQVE nec calefacere nos ualent prius quàm actu talia fiant. Ac quòd actu talia ſint, id à nobis accipiunt, ueluti ſicci calami ab igne: ita uerò & ligna ex ſua quidem natura frigida ſunt uniuerſa, ſed quæ ſicciora ſunt, & gracilia, ea facile mutantur in ignem. Quæ humidiora ſunt & craſſa, ſpatio egent maiore. Nihil igitur miri eſt, ſi medicamenta quoque primum quidem in parua & tenuia frangi poſtulant: ſecundo loco ut tempore aliquo, tametſi minimo, corpori noſtro quo calida fiant, ſint adiuncta. Tu uerò ſi ea nec cōminuta, nec prius calfacta, calida tamē iam fieri cenſes, quid ſignificet quod poteſtate calidum dicimus, parum mihi meminiſſe uideris. Sic enim ea exploras, tãquam energia ſint calida. Sed nec illud mirum, ſi quo recalfaciãt, calefieri ipſa prius poſtulent, cum idem fieri cernatur & in lignorum exemplo. Quippe hæc uaneſcentem aliàs morientemque flammam tum ſeruant, tum uerò augent, dum ab hac ipſa prius calefiunt. Nō eſt igitur alienum calorem qui in animãtibus habetur, eiuſmodi medicamentis quaſi ali-

mento

mento quodam uti, quemadmodum ignis ligno. Quippe id ita quoque fieri cernimus.

Prius conquesti sumus, quòd Galenus omisit dicere, quidnam syncerè medicamenta patiantur, quando actum similem potentiæ beneficio corporis nostri accipiunt. id nunc tentat dicere. frãgi enim & digeri ea primum dicit: paulopòst enim corrumpi, si fuerint calida. sed neq; ibi in quid corrumpantur dixit. est tamẽ uerum, quòd medicamẽta non statim corpus nostrum demutant, sed postquam nonnihil à calore nostro fuerint elaborata, atque in corpus nostrum digesta. non enim ultro in ipsum rapiuntur, sed à uirtute nostra attrahuntur, nisi natura nostra abhorreat: quapropter medicamenta præsertim uenena ægrè eò transeunt, nisi illorum facultas alijs deliniatur, atque adeo ijs quæ subtilẽ eßentiam habẽt. Ex eodem est quod à quibusdam dicitur, uinum lymphatum aliquãdo intimius infrigidare, quàm ipsam aquam. Quòd autẽ ea quæ sunt sua natura tenuia, citius in corpus agant, quàm craßa, per se notum est. & forsitan quia calidum conformius naturæ est, quàm frigidum, atque tractu facilius, factum est ut medici medicamenta omnia exhibeantur egelida, ac sub lactis tepore: ueruntamen iuxta Galeni opinionem hæc prouisio in frigidis utilitate caret, & generatim melior est Galeni, ac ante illum Hippocratis

pocratis

pocratis consuetudo, qui oximel, & reliqua tempore æstatis propinant frigida, hyeme uerò calida, ut pensetur temporis iniuria. Sed ut ad propositum reuertamur, licet medicamenta intrò sumpta subinde has mutationes patiantur, non tamen ubique est neceßarium. nam uel in uentre integra suam uirtutem exercent, atque eo magis quo manent integriora. Quare non est tam uerum, quàm uulgo dictum, medicamenta priusquam actum suum prodant, ipsa à corpore nostro quodammodo laceßi, aut à corpore nostro in actum traduci. At ut hoc in calidis medicamentis eueniat, in frigidis non est neceßum. Sed neque in calidis perpetuum, quum quædam medicamenta in cadauer agãt: & calx nihil minus in mortuũ corpus ferè poßit, quàm in integrum.

SI uero perfrigerato corpori eorũ quod uis quantumuis diligenter comminutum inspergas, prorsus nõ calefit. Proinde quæ refrigeratæ partes sunt, eas eiusmodi medicamentis plurimum perfricamus, unà calorem perfricãdo excitantes, unà rarũ, quod prius frigore fuit densum, reddentes: quo scilicet tum introrsus pharmacũ penetret, tum naturali animantis calori coniunctum mutetur ac calefiat. Quippe cuius si particula quædam uel minima calorem energia concipiat, hunc deinde in totum per continuitatem porrigat, perinde ac si ex parua scintil

ſcintilla tedam ſummo tenus accendat. Siquidem hanc uniuerſam facile depaſcitur ignis, nihilo amplius ſcintillam requirens.

Vulgo dicitur, quòd actus medicamentorum quodammodo ſint ſopiti, nec antea corpus noſtrum exerceant, quàm à natura ipſa prouocentur atque tententur. Sed paulò antè dictum eſt, quòd idipſum perpetuum non eſt. Sed neque illud uerum eſt, quòd medicamenta nihil agunt in corpus refrigeratum. nam & in cadauer multa ſuam uim exercent, & herba quædam ex proximo hepate ſanguinem duxit.

AC quicquid poteſtae calidum eſt, huic nõdum in natura ſua calidum frigido præpollet, ſed in propinquo eſt ut præpolleat, adeo ut breuem opem quo uincat, extrinſecus requirat.

Idipſum quoque ratione caret, quòd in omnibus medicamentis natura calidis dicamus exuperare, aut propè eſſe ut exuperet elementum calidum: nemo enim in bitumine, ſulphure negabit multis partibus frigidum exuperare calidum.

HANC illi modò frictro abunde præſtare poteſt, modò uel ignis, uel corporis alicuius calidi contactus.

Nequaquam id facimus, quaſi calor huius medicaminis uim prouocet, & accẽdat: ſed quia frigiditas illius inſinuationem prohibet. facilius enim facultas medicamentorum inſinuatur per

rarum

rarum quàm densum, calidum quàm frigidum.

NON est igitur tam arduum rationem reddere quid causæ sit, cur alia protinus ut corpus nostrum contigere, recalfacere id possint, alia post longius id efficere spatiũ. Quippe ex ijs quæ igni appropinquãt, alia statim accenduntur, ueluti elychnium, & tenuis teda, & pix, & siccus calamus: alia nisi diutius sunt admota, non uincuntur, sicut uiride lignum.

Nescio ad quod ista propositum. certum tamẽ est, quòd unumquodque eo citius incalfacit, quo est natura calidius, aut etiam tenuius.

ILLVD potius definiamus, cuius utiq; demonstratio, cum de naturalibus potentijs agemus, tradetur. Ex hypothesi nunc quoque propositorum causa, eo utemur, quatuor nimirum dicentes totius corporis proprias facultates esse, unã idoneorũ tractricem, alterã eorum omnium retentricẽ, & tertiam alteratricẽ, & quartam quę alieni sit segregatrix, easdemq; facultates effectus esse totius in quouis corpore substantiæ, quã etiam constare ex calido, frigido, humido & sicco inter se mixtis dicimus.

Appetitus ad alterationem refertur, digestio quoq; siue mauis distributio, ex alteratione quoque & expulsione componitur: quapropter primariæ facultates non nisi quatuor remanent. Videtur

detur præter rem id dixiße, ſed occaſio prius dicta eſt, ut oſtendat ſcilicet, quid medicamentum, & rurſum quid patiatur in corpore noſtro nutrimentum.

VBI igitur corpus unaqualibet earum, quas in ſe habet, qualitatum, corpus quod ſibi admouetur demutat, nec ipſum hoc caſu tota ſubſtantia exiſtimandum eſt agere, nec quod ab ipſo mutatur, poſſe ei aſsimilari. Quare nec unquam nutriet, quod ita mutatum eſt id quod ſe mutauit. At ſi illud mutet, id eſt, ſi tota ſubſtantia operetur, utique tũ ſibi aſsimilabit id quod mutatur, tum ab eo nutrietur. Neque enim aliud nutritio eſt, quàm aſſimilatio perfecta.

Rectè admonet Galenus alterationem atque adeo ipſam corporis mutationem fieri bifariam. Altero modo, dum ipſa qualitas rei adhibita mutatur, ſcilicet quando refrigeratur, incaleſit, aut etiamdum humectatur. Altero uerò, quãdo ipſa ſubſtantia quoque mutatur. Atq; id rurſum dupliciter accidit: uel enim corrumpitur, aut in ſubſtantiam eius, quod ipſum mutat, uertitur. atque qualitas ipſa ſola forſitã caliditas utranque priorem mutationẽ facere potens eſt. poteſt enim quod frigidum eſt incalfacere, ac etiamdũ omnino corrumpere, non tamen poteſt totam ſubſtantiam ſibi ſimilem transferre. quidnam tamẽ hoc præſtet, Galenus apertè non dixit: tantùm

in hoc

in hoc loco corpus ſua tota ſubſtantia obiter agere enunciauit, ubi reliquam ſubſtantiam in ſe transformat:nec in promptu admodum eſt, quippe ipſa ſubſtantia, ſiue materiam, ſiue formam intelligas, nulla actione prædita eſt, ſed tota affformatio, aßimilatio, nutricatio penes calorem naturalem eſt:non tamen id ex ſe habet, ſed proprietatibus quibuſdam naturalibus in corpore noſtro inſtitutus, ac (ut ita dicam) eruditus. ſecus enim ut calor proximum corpus incalfaciat, non tamen in ſe demutabit:atque id ſubinde accidit propter magnam contrarietatem eius corporis in quibuſdam conditionibus, quam non poteſt euincere.

QVONIAM autem hoc definitũ eſt, inde rurſus incipiẽdum. Omne animal conueniente ſibi nutritur alimento. Conueniens autem cuique alimentum eſt, quod aſsimilari corpori, quod nutritur, poteſt. Oportet ergo toti nutrientis ſubſtantiæ cum tota nutriti natura communio aliqua ſimilitudoq; ſit, prorſus hic quoque non paruo exceſſus defectusq; ſubſiſtente in ipſis diſcrimine, cum alia magis conſentientia ſimiliaq; ſint, alia minus.

Dictum eſt ab antiquis Philoſophis ianduedum, Forma non recipitur, niſi ab idoneo. Agentis etiam atq; patientis neceßaria eſt ſimilitudo, aut potius communio:atque ipſa prima ſub-

stantia siue materia omnibus eadem est, sed uariè instruitur, atq; informatur: idq; primum quibusdam qualitatibus primis pro diuersa temperatura elementorum. ob has causas neq; ignis in aquam, neq; aër in terram continenter transire potest, dum duabus qualitatibus dissidet: sed ignis primum in aërem, aër in aquam abit: quòd siquidem frigida & sicca continenter corporis nostri substantiam subeant, utpote cichoreum, ac similia, priorem rationem nondũ redarguũt. non enim hæc syncerè talia sunt, siue potentiam, siue actum spectes, sed humiditate aliqua permixta. Hinc est quòd recentia ac uiridia magis nutriunt, quàm uetera aut exiccata. Non tamen ea contrarietas, quæ in duabus qualitatibus spectatur actu aut potentia, sola continentem mutationem impedit. nam sunt quædam calida & sicca (si quidem potentiam æstimes, quam nunc sub reliquis qualitatibus intelligo) quæ multo difficilius quàm frigida & sicca in substantiam corporis nostri transeunt. ergo præter contrarietatem, quæ in qualitatibus aut etiamdum potentijs est, tertio eam æstimare oportet, quæ in alijs spectatur proprietatibus. nam & hæ asimilationem suæ substantiæ frustrari possunt. non est enim asimilatio penes incalfactionem aut infrigidationem (ut diximus) sed penes totius substantiæ, hoc est, qualitatis ac temperaturæ in omnibus conditionibus transmuta

muta

mutationem. atque huius quoque diximus non est artifex simplex qualitas, sed calor naturalis, nequaquam syncerus, sed multorum naturam referens, fortè etiam astrorum, conditione determinatus: ac sic quicquid illi simile est, transformare, atque in suam substantiam effigiare didicit. Non proditur ergo hæc similitudo semper externis qualitatibus aut internis potentijs, sed experientia & longa consuetudo oportet discere.

PROINDE etiam alia conficiendi opere ualentiore ac diuturniore, alia minore ac breuiore egent: auium caro minore, suilla maiore: bubula etiam hac maiore. Vinum uerò ut assimiletur, mutationem desiderat minimam. Quo fit, ut tum nutriat, tũ roboret celerrimè.

Per accidens id euenit. Nam caro suilla cum corpore nostro maiorem habet affinitatem atque similitudinem, quàm uinum: sed uinum rarius: suilla uerò solidior est. Itaque & difficilius in sanguinem euadit, atque tardius nutrit. Eadem ratio est de ouilla & similibus.

PORRO id quoque in concoquendi instrumentis, uentriculo, iecinore, & uenis prorsus aliquandiu traxerit oportet, in quibus scilicet præparatũ nutrire corpus iam queat: antè uerò quàm in his sit demuta-

tum, fieri non poteſt, ut animalis corpori ſit nutrimentum, ne ſi per totum diem ac noctem extrinſecus ſuper corpus ſit impoſitum. Multoq́; minus panis, uel beta, uel maza foris impoſita nutriat.

Hoc non eſt ſimpliciter audiendum, ſed de nutrimento extremarum partium: alioquin uentriculus hepatis nutrimento non eget, ſed utrunque uiſcus ſuo more confecto contentum eſt. arguit hoc hepatis atque uentriculi ſubſtãtia. Iam niſi ſaturaretur utrunque uentriculus ſuo ſucco, ſed expectaret aliunde ſanguinem, perpetua ferè fames urgeret. Omitto hinc ſequi, quòd ipſum hepar per intellectum attraheret, atque uenter mitteret: ſiquidem uenter antequàm ſaturatus eßet, remitteret, uel hepar alijs potius quàm ſibi attraheret. tamen aliquando, ſed raro in inedia longiore aliter euenit.

AC quę quidem aſſimilantur, omnia nutrimenta uocantur.

Non ſimpliciter, ſed quæ nulla inſigni aut euidente qualitate corpus mutant: alioqui non tantum nutrimenti, ſed & medicamenti rationem participarent, etiamſi quàm maximè nutrirent.

RELIQVA omnia medicamenta.

Quæ aut nullum, aut certè effatu indignum alimentum exhibent, ſed corpus noſtrum manifeſtè altera, tantum medicamenta dicuntur

tur, quorum ſubſtantia, proprietas, aut conditio à corpore noſtro amplius diſsidet, quàm quæ in ſubſtantiam noſtram commutari poſſit.

EST porrò & horum natura duplex. Quippe uel eiuſmodi ſunt aſſumpta, eiuſmodi etiã permanentia uincunt, corpusq́; mutant ad eum modum quo id cibos. atq; hæc prorſus tum uenenoſa, tum naturæ animalis corruptricia medicamenta ſunt.

Partitur medicamenta in frigida, & calida: ac primum definit frigida, non quidem omnia, ſed quæ in quarto ordine talia ſunt, ac etiamdũ uenenata. Hæc putat frigida aſsumpta nulla ex parte, uel uſque ad teporem poſſe incalfieri. Imò quòd uel calida aſsumpta ſtatim omnem teporẽ exuant. Atqui ego utrunque falſum arbitror. nam parua illorum quantitas aliquando à nobis contemnitur, ſed & magna tandem ſtudio ac conſuetudine in alimẽtum uertitur. Imò quo calidiora quoque exhibentur, eo celerius intereunt, quamuis neceſſariò hæc ſerius ad genuinã naturam redeunt. Sed & hoc contingit aliquãdo, quòd reliqua medicamenta frigida in ſecundo aut tertio ordine corpus noſtrum euidenter refrigerent, tametſi ipſa egelida permaneant: quippe aqua multos dies calida ebibita, & calida excreta, tamen hominem refrigerat. Sed neque cogitari poteſt, cur in calido corpore potius

quàm frigido egelidum medicamentum euadat frigidum.

VEL mutationis initium ab animalis corpore consecuta deinceps iam putrescunt ac corrumpuntur, deinde corpus quoque unà corrumpunt ac putrefaciunt. Sunt autem hæc quoque noxia uenena.

Hæc calida sunt uenena. *Videtur autem Galenus uelle diluere argumentum illud, quod non patitur medicamentum alteri impartiri calorem ultra se, & propterea medicamentum, quod antè erat parum calidum in corpore corrumpi cogitat, atq; deinceps magnum aliquem calorem concipere, quo totum corpus nostrum similiter afficit. Verum hic bis peccat. non enim medicamentum ipsum, sed corpus nostrum primo corrumpitur. Secundo falsum est, quòd nullum medicamentum aliter corpora nostra afficere potest quàm ipsum est affectum. etenim corpora cœlestia incalfaciunt inferiora, quædam etiam refrigerant, nihil tamen illorum simpliciter, atque actu calidum est, uel frigidum.*

EST his etiam amplius tertia medicamentorum species, eorum nimirum quæ corpus recalfaciunt quidem, mali tamen nihil adferunt.

Hæc sunt medicamenta, in primo, secundo

do, & tertio ordine calida, quæ & ipsa corpus importunè accepta uitiare poßunt: uerum ubi suo tempore accipiuntur (id enim in dictione Galeni subaudire oportet) nihil mali afferunt, sed quod antè in corpore uitium fuit, castigant. Fateor & uenena quædã aliquãdo conferre, uerum omnem suam malitiam nunquam deponunt, sed quæ ipsorum uim infringunt, admistionem semper requirunt. Miror autem cur Galenus potius calidorum, quàm frigidorum medicamentorum in hoc ordine meminit, quũ par ipsorum sit ratio.

EST & quarta ipſorum ſpecies, quæ & agunt & patiuntur aliquid, ſed tandem uincuntur, planecq; aſſimilantur.

Forsitan hic intelligit medicamentum in primo, secundo, & tertio ordine frigidum, quemadmodum prius dixit de calido. nam iuxta eum, proprium ferè medicamentis frigidis est, ut primum agant, ac secundo patiantur, hoc est, aßimilentur: reuera tamen commune est & hoc medicamentis multis calidis. etenim & horum multa medicamenta sunt, & nutrimenta, atque omnino ea quæ in hos ordines digeruntur, tam calida, quàm frigida inuenies. pauca merè medicamenta sunt, plura utriusque rationem obtinent.

ACCIDIT porrò his, ut tã nutrimen

ta sint, quàm medicamenta.

Poßumus hoc referre ad utranque speciem prius dictam, prout locos distinguere uolumus, poßumus ad posteriorem tantum: sed prius melius est atq; conformius: quoniam, ut diximus, tã calidis quàm frigidis cõtingit medicamentũ & nutrimentum eße, & potißima & iucundißima hæc est, ubi sufficit medicatio. quomodo autẽ id fieri poßit, perscrutandum. nonnihil enim cũ primis pugnare uidetur: etenim nutrimenta cũ substantia nostra conueniunt, medicamenta uerò dißentiunt. non potest autem fieri ut proprietates eædem atque diuersæ sint. In quo duplex *est responsio.* Potest *enim pars medicamentosa integra seruari, at reliqua mutari.* Melior *autẽ est altera distinctio, quæ hoc de solis medicamentis uenenatis intelligit: aut quæ syncerè medicamenta numerantur. reliquorum enim cum nostra substantia communio est: tametsi sanguis, qui ex ipsis proficiscitur, aut calidior, aut frigidior, aut humidior, aut siccior euadit. atque hactenus medicamenti rationem subit.* Galenus *etiam tempora distinguit, ac frigida quædã primum medicaminis, secundo autem cibi rationẽ obtinere putat, dum in sanguinem cõuersa sunt, quo tempore illic medicamenta eße desinunt. An de calidis idem dixißet nescio: ego uerò non uerebor huiusmodi medicamenta etiam in sanguinem conuersa, medicamenta dicere, dum corpus*

pus infrigidant uel incalfaciunt, prout ex ijs sanguis euadit calidior aut frigidior. Non est enim dubium, sanguinem pituitosum calidiorem euadere, si quis diu melle uictitauerit: ac frigiorē, si lactucis. non enim tantum calorem nostrum imitatur sanguis, sed & ipsam materiā ex qua recreatur, id quod ex quotidiano hepatis munere licet intelligere. Nam ex eadem hepatis temperie alius humor hepate multo frigidior, alius multo fit calidior: & sol corpora aliter atq; aliter afficit, aliud indurat, aliud liquat, aliud dealbat, aliud denigrat, atq; uno uerbo, agēs ipsum pro diuersitate materiæ semper ferè suas habet differentias.

NIHIL autē miri est, si exiguum consecuta momētum, aliqua maximam à priore natura mutationem habent. Cernuntur enim huiusmodi multa in his quæ extra nos sunt. siquidē in ea Mysia, quæ est Asiæ pars, domus hac aliquando ratione conflagrauit: Erat proiectum columbinum stercus, cui iam putri & excalfacto ac uaporem edenti & tangentibus admodum calido, in propinquo fenestra fuerat, ita ut iā contingeret eius ligna, quæ largè nuper illita resina fuerant. Media igitur æstate, cum sol plurimus incidisset, accendit tum resinam, tum ligna. Hinc autem & fores quædam aliæ quæ propè fuerant, & fenestræ nuper

etiam resina illitæ facile ignem conceperant, atque ad tectum usque summiserant. Vbi autem à tecto semel accepta est flamma, celeriter in totam domum est grassata.

Vndique Galenus exempla acquirit ad ostendendum propositum: atque in his sibi maximè placere apparet: quibus ego miror quòd uti uelit. nullo enim modo cum præsenti argumento conueniunt: quippe medicamenta eadem ferè in corpore perseuerant, at quæ accenduntur, speciē mutant: quapropter admirandum non est, si quidem ipsorum caliditas promouetur. Nam & uiridia ligna accendes, nedum sicca, tametsi nemo ea cadida dixerit.

HOC arbitror modo aiunt, & Archimedem hostium triremes ardentibus speculis incendisse. Porro succenditur his promptè lana, stupa, elychnium, ferula. Quicquid denique similiter his siccum, rarumq; est.

Hodie hæc est circularis & triuialis experientia ac ostentatio.

FLAMMAM edunt & lapides attriti.

Hæc experientia iusta eget inquisitione. incertum enim est quomodo durorū corporum attritus calorem aut flammam excitet, an ipsam duntaxat excutiat, an recentem ex ipsis generet

ret.atq; id quidem uerisimilius. Interim tamen est admirabile, quòd tam promptè motus ipsa potest incalfacere, atque in ignem manifestum transmutare, præsertim cum natura frigida & sicca sint, atque omnis propemodum caloris expertia. Forsitan aër qui in ipsis continetur, attritu in ignem uertitur, atque id ex eo apparet, quia eo promptius ignem edunt, quo sunt duriora.

ATQVE hoc magis, si quis illos sulphure illeuerit.

Parum refert, sed cautè hoc Galenus adiecit, ut exemplum illius maiorem uim obtineret. nã quod simplex lapis aliquando ex parte in flammam uertitur, nullo modo medicamenta calida promptè accendi arguit, quum contrà lapis sit frigidus: imò, ut prius diximus, quædam frigida celerius quàm calida attritu incalfaciunt, si forte hæc mollia, illa dura.

EIVSMODI erat medicamentum Medeæ. Quippe quod quibus est illitum, omnia, ubi in id incidit calor, accendit. Constat id ex sulphure & humido bitumine. Iã illud ceu rem mirãdam quidam ostẽtauit: extinxit lucernam, & rursus muro admouens accendit. Alter lapidi eam admouit. fuerant autẽ tũ murus, tũ lapis sulphure cõ tacti. Quod ubi depræhẽsum est, desijt mirum uideri, quod ostẽtabatur. Ergo omnia

id

id genus medicamina perfectè, calida adhuc non ſunt: aptiſsima tamen, ut calida fiant. Atque idcirco poteſtate calida dicuntur.

Hoc exemplum conformius, eſt tamen eiuſdē farinæ ferè cum primo. neque enim uel hic ſuapte ſponte bitumen aut ſulphur inflammatur, ſed à colore ſolis incenditur. nihil ergo nouum hæc ſimilitudo arguit: quoniam calor ſolis, ut ignis, quædam in flammam uertit. Magis hoc exemplum eſt cibi, qui in ſanguinem pro ſua natura uertitur priore calidiorem, quoniam ſpeciem mutat.

AC de ijs quidē nulla eſt dubitatio, ſed nec cur uinum bibitum quidē ualenter corpus calfaciat, cuti autem impoſitum non calfaciat. Mōſtratum enim ſuprà paulò eſt, id non ſimpliciter ut calidum medicamentum, imò ut conueniens nutrimentum calfacere animal. Tanquam enim ignis idoneum alimentum ignem ipſum auget, ita quicquid corporum natura calidorum proprium & naturale eſt nutrimentum, id ea ſemper nō ſolum roborabit, ſed etiam inſitum eorū calorem augebit. Atque id quidem omnis nutrimēti communis effectus eſt. Vino autem præter cętera proprium ac ſuum eſt, mutationis celeritas: ita utiq;, ut tedæ, elychnij, ſtupæ, picis.

Non

Non uidetur nutrimentum & medicamentum eadem potentia dici calidum. Nam medicamentum quia incalfacit, nutrimẽtum uerò quia in calidum ſanguinem uertitur. Videtur autem eadem fere utriuſque conſtitutio, & ab aſtris, non autem elementis, ſua ingigni potentia. quod manifeſte in uino apparet: aliquid tamen & elementa uariant. Nam ut unaquæq; auis uiua uel actu eſt calidior, ita ex ipſius carne ſanguis quoque euadit feruidior. Hæc ergo taliter eueniunt ex materiæ promptitudine, quippe hoc modo & cholera quæ in corpore noſtro quotidie ſuboritur, ipſo etiam hepate calidior exiſtit. & ex unoquoq; cibo quatuor humores oriuntur. nihil enim (quod ſæpe diximus) tam ſimplex eſt, quod non ſit quadruplex. Effigiatur autem unaquæq; eius portio à calore prout idonea eſt: calida quidem plerunque in bilem euadit, etiam ipſo calore calidiorem: atque huic propemodum ſimile eſt exemplum, quod Galenus attulit, ubi calor ſolis flammam ſuſcitat. non eſt enim dubium, quin flamma radijs, qui ipſum accẽdunt, calidior eſt. nec motus qui ex lapide ignem manifeſtum excutit, ſimilem calorem obtinet. Nunquam tamen Galenus ob cauſas quas diximus, hoc exemplum demonſtrationi ſuæ de medicamentis poterit accommodare.

IAM uero ab ignis exẽplo non digreſſi admoneamus rurſum de lignis humidis, quæ

quæ ipsa quoque ignis nutrimētum sunt. Cæterum non statim aut continuo, eoq; sæpenumero igni iniecta non solum flammam quasi sopiunt, sed si imbecilla est & parua, corrumpendæ quoque eius periculum afferūt. Sic profectò & in animalibus cibi qui uti prorsus assimilentur, & corpus nutriant, spatio egent, hi frigus uniuersi potius quàm calorem adferre in præsenti uidētur. Cæterum calfaciunt hi quoque tādem non secus ac reliqui cibi, si semel ut corpus nutriant, sint consecuti. Omne enim nutrimentum, quatenus nutrimentum est, animalis calorem auget. At si deuoretur quidem ut nutrimentum, nec tamen superetur, id erit quod Hippocrates dixit, nomine quidem nutrimentum, re autem minime.

Hoc manus arguunt: nam ferè in principio frigescunt, præsertim si corpus natura fuerit frigidius, maximè autem si & cibus refrigerandi potestate sit præditus: in his enim uix tandem calor reuocari potest. at quibus natura calidior est, statim exurgit: quòd si & uictus feruidus fuerit, iam manus quoque confestim ardent. Nam tametsi posterius in sanguinem excoquitur, subtilißima tamen eius pars promptè in spiritum uertitur, in quo maximè calor habitat. Propterea nescio quid illis

illis in mentem uenire potuit, qui frigidas manus mox à cibo calidi uentris argumentum statuunt: nam præsens comparatio hos euidenter refellit: quum & ignis quo minor sit, eo diutius à lignis supprimitur ac suffocatur. Ratio *uerò, quam illi adijciunt, omnino absurda est, nec ullis ualidis argumentis fulta. putant enim ad cibum uentre exceptum, quàm primum calorem naturalem accurrere. atque hi calorem naturalem animal faciunt, non quidem simplex, sed intellectu præditum. nam omnino calor, qui in extremis corporis partibus hærebat, intelligere debuit, hoc ipsum utile esse.* Veredario *etiam uno atque altero opus erat, qui iamiam cibum in uentre esse nunciaret: ac fortè is à uentre missus erat, ut uires subsidiarias contraheret.* Nec *putet me quisquam ista dicere derisionis gratia. nam reuera hæc dicere oportet, si quidem ita sponte calor ab extremis ad uentrem regurgitat.* Puerilia *igitur sunt hæc omnia, neq; longiore disceptatione digna: quando calor tantum naturaliter agit, à natura tamen prius institutus est, ut illum intellectu quodam omnia obire credas. sed si rectè inuestiges per omnia naturales tantum illius causas inuenies, sicut ibique nos reddimus.* Nam *& id mirabile apparet, quomodo uenter non tantùm sibi, sed uniuerso*

corpori

corpori appetit sufficientia atque similia. Diximus autem centum huiusmodi in diuersis locis ab aliȷs nusquam annotata: nunquam tamen aliquid tale in proposito quis inueniet, quò calorem naturalem ab extremis ad internum uentrem procurrere ostendat. est enim naturalius, quòd ad exteriora redeat: & hoc quoque aliquando contingit. Nam subinde cibus calorem internũ ad exteriora nõ segnius pellit, quàm frigida corpora affusa ad interiora. atque hic si quidem calor naturalis copiosior fuerit, alacrior reuertitur: si uerò breuior, quodammodo extinguitur. Ita nequaquam frigidi, sed econtrario ferè calidi sunt, quibus à cibo manus accenduntur, atq; id duabus de causis: uel quia multus (ut dixi) calor uentris tenuißimam uictus partem subitò euincit, atque in spiritum transmutat: uel quod est uerisimilius, quia calor frigido foras pellitur: unde si copiosus fuerit, liberalior reuertitur. Sed de ȷs in nostro Plutarcho peculiarius atque longius diximus.

QVIPPE cum trifariam nutrimentum dicatur, sicut ipse docuit his uerbis, Nutrimentum est, & quod nutrit, & quod ueluti nutrimentum est, & quod futurum nutrimentum est. Quod utique iam nutrit, & corpori adiungitur, nec amplius futurũ est, id propriè nutrimentum appellatur.

Nutrimentum tribus modis appellatur. Aliquando

quando id quod sua natura idoneum erat nutrimentum, sed immodica eius quantitate, aut alia corporis dispositione, scopo nutricationis excidit. appellatur autem hoc ueluti nutrimentum. Secundo quòd futurum nutrimentum est talis cibus extra uentrē, propinquus est succus in uētre, magis sanguis qui in uenis magnis est, proximus qui in paruis uenis, atque hactenus calor extenuauit, qui dum à uenis excluditur, quasi ros quidam spißior comparatur in singulis partium particulis. hic uerò etiam alias immutationes patitur, sed quia occultiores, Galenus neglexit, neoterici etiam nomina ipsis ausi sunt inscribere, secundum cambium, tertium gluten appellant, quorum perplexitatem ac barbariem lubenter præterimus, quum hactenus nihil propriè alimentum sit, sed id duntaxat, quod iam iam nutrit. Talis autem est ea portio, quæ corpori assimilatur, quo fit ut aßimilatio & nutritio idē sint.

IDEM uerò & corpus, quod nutrit, excalfacit, quod reliquorum neutrum facit: quòd scilicet propriè nutrimēta non sint, sed alterum eorum ueluti nutrimentum, alterum tale futurum.

Copiam quidem caloris auget, ipsam uerò qualitatem subinde minuit. Scio quòd & copia aliquando qualitatem intendit, sed id nunc minime proposito conuenit.

PROINDE nec uinum ipsum semper animal calfacit, æquè ut nec oleũ flammã accendit tametsi aptissimum est ignis nutrimentũ. Imò si imbecillæ & exiguæ flammæ confertim multum oleum infundas, suffocabis eã, prorsusq; extingues potius, quàm augebis. Sic igitur & uinum ubi plus bibitur, quàm ut uinci possit, tantum abest ut animal calfaciat, ut etiam frigidiora uitia gignat. Quippe apoplexiæ, & paraplexiæ, & quæ Græce caros & comata uocamus, & neruorum resolutio, & comitiales conuulsiones, & tetani immodicum uini potum comitantur: quorũ unumquodque frigidum est uitium. Generatim enim quæcunque assumpta in corpus ut nutrimentum calfaciunt, hæc interim frigefacere depræhendas, æquè scilicet, ut flammam ab eadem materia non augeri modò, uerum etiam aliquando extingui. Atque hæc quidem omnia, tum ijs quæ de elementis, tum ijs quæ de temperamentis sunt prodita, consentiunt.

Digna est sententia, quæ annotetur ab ijs, qui uersantur in opere. ac respondet illi quod uulgo dicitur, Vinum modice sumptum acuit ingeniũ, retundit autem immodicum. etenim immodica sua quantitate calorẽ naturalem opprimit, subinde etiam strangulat: quo fit ut potius frigidos,

quàm

quàm calidos humores ac morbos gignat. Idem est & de omni alia crapula, propterea in ijs Galenus non tantũ phlebotomiã, sed & uniuersim factas purgationes reformidat. de quibus alibi.

ILLVD fortasse dissonare uidebitur, quòd ex iis quæ ut nutrimẽtum comedun tur, aliqua cuti imposita, hanc erodunt, at que exulcerant, sicut sinapi, muria, allia, cæpe.

Fuit id suspectum Galeno non sine caußa. nam iuxta suam hypothesim calor naturalis est, à quo primum medicamenta accenduntur. at is in internis, quàm externis maior est: caro quoque interna, quàm externa mollior, atque ad patiendũ est opportunior. Ex altero sequitur, quòd medicamentum & citius & uehementius incendatur intus quàm foris: ex utroque quòd caro ab ijs & similibus promptius interna rodatur atque exulceretur quàm externa, cuius nũc contrarium experimur, atque id est quod nititur diluere.

VERVM hoc quoque cum positis à principio hypothesibus concordat. Etenim propterea quòd tum in uentre concocta, tum in uenis in sanguinem uersa, mutantur, alteranturque: præterea quòd uno loco non permanent, sed in multas partes diuisa quoquò uersus feruntur. Adde & quòd non solum multis suc-

cis miſcentur, ſed etiam cibis, cum quibus ſumuntur. Adhæc quòd celeriter eorum & cõcoctio & partiũ ſeparatio perficitur, ita ut quod conueniens in eis eſt adſimiletur, quod ſuperuacaneũ & acre, per aluũ, urinas, & ſudoré excernatur. Propter hæc inquã omnia quod foris impoſitũ exulcerat, id comeſtum nõ exulcerat: quamuis ſi uel unũ quodlibet prędictorũ accederet, ſatis eſſet ad ea quæ foris ſunt integra ſeruãda: uerbi cauſa, mutatio ipſa prima. Si nanque non maneat ſinapi, quale extrinſecus fuit, cum eſt aſſumptum, manifeſtũ eſt, nec uim eius manere cenſendum. Quòd ſi tum diri muntur eius partes, tum purgantur, multo utique magis ſic cenſendũ, iam ſatis erat, quòd nec eodem loci manet, cum nec circa cutem aliquid efficere poſſe uideatur, niſi diutius immoretur, ſed nec mixtio ipſa cum multis cibis parum momenti habet. Si enim id citra alium cibum ſolum aſſumas, facile intelliges, quantum moleſtiæ & roſionis uentriculo ſit allaturum. Quin etiam ſi plurimo dulci admixtum ſucco cuti id imponas, quàm nihil adferat incommodi. Cum igitur prædictorũ unumquodlibet per ſe ſatis prohibere poſſit, quo minus ſinapi quod foris facit, idem facere intus poſſit, multo (arbitror) magis, ubi multa ſimul

ta ſimul

ta simul coierunt. Nam & coquendo alteratur, & secernitur, & expurgatur, & cum multis alijs miscetur, & uarie distribuitur, & in omnē partem fertur, nec in ulla moratur.

Medicamenta apposita ferè integritatem suam seruant, sed imbibitorum uarijs modis uis infringitur: non enim semper eandem formam retinēt, sed extenuatione, cōcoctioneq; mitescūt. sed neque tempus illis sufficit, quo uirtutem suā altius alicui parti insinuent: quoniam sursum deorsum continuè in alias partes digeruntur, atque interim quod in illis plus satis acre est, per halitum, sudorem, urinam, atque aluum excernitur, & si quid reliquum fuerit, quod exclusionē frustratur, admistione benignioris succi in corpore castigatur, ijs & alijs quibusdam modis intrò aßumpta ignaua depræhenduntur, licet externas partes non parum uellicant. Nihil itaque *istorum Galeni sectam hactenus uitiat. Est autem aliud, quod in hoc loco non animaduertit, ac propemodum illius opinionem infirmat: quòd nequaquam hæc medicamenta detracta eum calorem exhibent, quem corpori insinuant, certè non diu tanquam naturalem retinent.* Lubenter *autem & hoc à Galeno inquirerem, ubi hunc suum actum medicamenta calida in corpore nostro recipiunt, quando uel in uentre (ut uerum est) eorum uim obtundi concoctione credit.*

QVOD autem si acrimoniam suam ser uaret, interim quoq; omnino exulceraret, ex ijs quæ sponte accidunt ulceribus intel ligas. Gignitur enim non rarò, alijs ex uitioso cibo, alijs ex quapiam in ipso corpo re corruptela & putredine uitiosus succus, quem cacochymiam uocant, ijs aliquando interiorum quoque aliquid exulceratur, magna tamen ex parte cutis: quoniam in hanc excrementa quæ in habitum corporis colliguntur, natura expellit, multis & assiduis ulceribus afficitur, quippe cancri, phagedenæ, herpetes erodentes, carbunculi, & quæ thironia, & celephia uocãtur, milleq; aliæ ulcerum generationes, ab eiusmodi cacochymia nascuntur. Neque igitur talium quicquam est dubitandum.

Tam uehemens & pertinax aliquando est eorum quæ diximus, acrimonia ac uis, ut nullo modo emendentur, sed nunc in cutem, nũc etiam carnem erumpit, iuxta humorum tenuitatem ac craßitudinem. sed hæc alibi perquiremus, ubi hulcerum species ex proposito distinguemus. nũc satis est, dixiße cancros ex succo melancholico, eoq; corrupto oriri, herpetes ex bile, carbunculos ex craßiore sanguine, phagedenas ex cholera adusta, quarum differentiæ chyronia, telephia.

SED nec cur medicamentorum nonnulla, cum nihil nos extrinsecus offendũt,

int

intrò assumpta magnum malum afferant.

Quòd uenena siue calida, siue frigida, plus nocent deuorata, quàm foris tãtum applicita, unũ ex perspicuè notis est, ac tantum ipsa differunt ab acribus: non enim ueneni uis permistione aliorum in corpore castigatur, aut extenuatione emendatur, sed altius in corpus usque ad ipsum cor rapitur, ubi ab illo maius periculum imminet. nam multa sunt, quæ per cutem eò uenenum suum mittere nequeunt, sed acria eam promptè erodunt.

ALIQVA rursus intrò assumpta nonnunquam lædant, nonnunquam conferant.

A*muleta, aut si mauis, alexipharmaca hæc sunt, quæ suo tempore atque modo exhibita præsentia sunt remedia, secus uenena.*

ALIQVA nõ solum intro assumpta, sed etiam extinsecus applicata offendant.

I*n causa est ueneni caliditas, & subtilitas, aut alia malignitas, quippe & frigida quædam id poßunt.*

QVIPPE ut semel dicam, nihil foris intusq; parem agendi facultatẽ habet. neq; enim aut uiperæ uenenum, aut rabidi canis spuma, aut aspidis uirus (quæ tamen si extrinsecus corpori occurrant, offendere creduntur) parem uim habent, uel soli cuti applicata, uel intrò assumpta. Sed nec il-

lud eſt mirandum, ſi certorum medicamentorum uis ad profundũ nõ peruenit. Neq; enim neceſſe eſt, ut omnia parem habeant uim. Quòd ſi ex ijs quæ intrò ſumuntur, non pauca certo tempore, & certa quantitate, & in mixtura cũ cæteris accepta con ferunt, intẽpeſtiuè autẽ, & largius, nec cũ alijs admixta lædunt, ne id quidem dubitationem ullam diſputationi pariat. Siquidem id tum cibis, tum igni, tum uero omni bus, ut ſic dicam, quæ corpori occurrunt, accidere ſolet. Nã & mediocri nobis flamma nonnunquam opus eſt, eáque uſi plurimum ex ea iuuamur, cum tamen immodica flamma nos urat. Ad eundem modum & frigidæ potio quæ mediocris eſt cõfert, quæ immodica eſt maximam adfert læſionem. Quid igitur miri eſt, eſſe medicamen aliquod adeo calidum poteſtate, ut ſi multum eius ſumatur, ac in uacuum corpus in feratur, erodat prorſus uratq;: ſin uero exi guũ ſit, & cum ijs quę uehementiam eius remittant, coniunctum, non modò nihil incommodi afferat, uerumetiam calfacien do iuuet?

Quòd non habeant parem uim foris apposita, & intrò ſumpta, prius dictum eſt. Sed & illud omnibus in confeſſo eſt, quòd minima quantitas ferè ubique innocua. Potius ergo hic erat

admo

admonere, quòd eorum quæ intrò ſumuntur, ferè quintuplices ſunt differentiæ: quædam ſyncerè medicamenta ſunt, quædam nutrimenta, quædam utrunque, quædam uenena, quædam amuleta, aut alexipharmaca. Media hæc ſunt inter uenena, & medicamenta.

LACRYMAM enim uel Cyrenaicã uel Medicam, uel Parthicã ipſam quidem per ſe citra incommodum ſumere non eſt. At ſi omnino exigua, uel cum alijs in tempore congruente ſit ſumpta, magnopere conducit. Atque ad hunc quidem modum quæcunque corpus excalfaciunt, ubi mutationis principium in ipſo, ſicut dictum eſt prius, accepere, recalfacere illud ſunt apta.

Non refert, ſuccum, an lacrymam dicas: differunt alibi, quia lacrymæ ac gummi ultro fluunt, ſuccus uerò non niſi inciſa radice, aut caule: nec liquor ab eo alia ratione differt, quàm quòd generalior ac ſeroſior ſit. lubrica eſt tamẽ, & quæ facilè confunditur, differentia: quippe interdum ſuccus pro lacryma, atq; econtrario ponitur. Eſt autem ſuccus multarum ſpecierum: ſed qui ex laſere recipitur, calidus eſt, qui nũc Cyrenaicus, nunc Parthicus à natalibus commendatur. Verùm non eſt noſtri inſtituti, horum differentias inquirere, aut rerum nomina hic exponere: quoniam iſta ad alium locum attinent. neq; enim

eos laudare poſſumus, qui in commentarijs de ſimplicibus, morbos tractant, aut in morbis ſimplicia, atque iterum in libris de temperamentis locorum differentiam, aut in locorum differentia temperamenta repetunt: id enim potius eſt alienos commentarios tranſcribere, quàm præſentis diſputationis nodos explicare. atq; hodie uix alios uſquam commentarios uideas.

QVAE uerò refrigerant, ueluti papaueris ſuccus, hæc à noſtro corpore ne uel paulum quidem demutantur, ſed ipſum ſtatim uincunt ac mutant, etiam ſi calfacta prius dederis. Eſt enim eorum natura frigida, quemadmodum aqua.

Si quidem æqui iudices eſtis, probabiliorem nunc noſtram, quàm Galeni de hac re opinionẽ cognoſcitis. etenim nobis ſeſe ultro omnia accommodant, Galenus ubique impingit: & quod maximè illius argumentum redarguit, non poteſt calidorum ac frigidorum actũ ſimiliter definire. nam tametſi calida medicamenta à calore noſtro poterant accendi, nunquam tamen frigida congelari: quòd ſi frigida medicamẽta ſuopte ingenio (id enim coactus eſt dicere) in corpore ad extremam ſuam uim perueniant, mirum eſt, cur id in calidis negauit: de utriſque enim eadem eſt ratio.

QVARE illud recte Ariſtoteli, ſicut alia multa, dictum eſt, calidorum, frigido-

rum, ſiccorum & humidorum, corporum quædam eſſe talia per ſe, quædam ex accidenti, ſicut aqua per ſe quidem frigida eſt, ex accidenti uerò aliquando calida. Verũ acquiſititius eius calor breui perit, naturalis frigiditas manet. Tanquam igitur calida aqua flammæ iniecta eam extinguit, ſic meconium, ſi id quantumuis calefactũ dederis, & calorẽ animalis perfrigerabis, & necis periculum adferes.

Multipliciter hoc loco Galenus peccat. In primis aqua incalfacta ſub aëre tepido, difficile euadet frigida, ſed manebit tepida. ita decebat æſtimare, quòd ſuccus cicutæ, tametſi in corpore ſuum feruorem deponat, tamen multo tempore teporem ipſius ſanguinis retinet. Iam licet aqua incalfacta ad genuinam tandem naturã reuertitur, nunquam tamen ultra eam qualitatem, quam prius habuit, promouetur. Hac ratio*ne & medicamenta quidem fortaſsis egelida, hoc eſt ſub lactis tepore exhibita, aſcititium teporem amittunt: ſed maiorem, quàm antea habuerunt, frigiditatem nuſquam incurrũt. Quòd ſi aqua incalfacta ſeipſam infrigidet (atq; hæc eſt altera redargutio) cur non & alÿs latenter ſuam potẽtiam iam inſinuare poßit?* Atq; *id iterum (etiam ipſo monente) indicat experientia. non enim aqua frigida tantum, ſed & calida ignem refrigerat, atq; extinguit.* Proinde *iam*

mirum

mirum esse desinit, quòd & frigida medicamenta actu calida, refrigerandi facultatem retineant.

OMNIA igitur id genus medicamenta si exiguè sint data, & unà cũ ijs quæ uehementiam frigoris eorum castigare ualeant, nonnunquam usum aliquem corporibus nostris præstant, quemadmodum in opere de medicamentis dicetur.

Et id quoque suspicionem facit, quòd medicamentum frigidum, actu calidum, potest infrigidare. Parua enim quantitas facile à natura contemnitur, ac euincitur, nec tamen refrigerare desinit. Iam si medicamenta calida à calore semel accensa iuxta suam hæresim uniuersum corpus nostrum poßunt incalfacere, ac frigidi exceßum aut insolentiam restringere, periculum est ne non & frigidum medicamentum, quod calido miscetur, calorem aliquem adipiscatur, tametsi effectus eius sit frigidus.

SIQVIDEM medicamen id, quod cantharides recipit, hydericis prodest: tametsi cantharis ipsa uesicam omnino exulcerat, uerum ubi per ea quæ admiscentur, castigata est.

Alexipharmaca citra huiusmodi uenena ferè non consistunt, unde & ipsa quodam modo uenenata existunt, præsertim ijs qui ipsis temere utũtur, tyriaca dico & mythridato. sed plerunque

runque inscitia seplasiariorum ignaua sunt, quo fit ut neq; admodum prosint, neque magnopere obsint.

AC corpori, quod plurimo humore grauatur, tum offertur, illum per urinas expellit.

Intelligere oportet absque consensu uniuersi corporis. Nam hic prius uniuerso corpori prouidere oportet. Sed hoc uerbo Galenus cautum uoluit, ne ob paruum affectum atque uix momentaneum magna consumamus præsidia.

MAXIME igitur est attendendum in omnibus quæ potestate calida frigidáue dicuntur, sint'ne ex natura eorum quæ nutrire corpus possunt, an eiusmodi quæ exiguum alterationis momentum nacta, deinde secundum propriam naturam alterata, corpus ipsum aliquo modo afficiunt. Tertio loco, an nullo pacto ab eo quicquam alterentur.

Differentias medicamentorum partitur in tres. Prima (inquit) eorũ est, quæ simul nutriũt: altera eorum, quæ nonnihil alterantur in corpore: tertia eorum est, quæ omnem calorem contemnunt. Quàm integra uerò aut rimosa hæc sit partitio, statim apparebit, ubi ipsa definiuerimus.

SI nanque ex nutrientium sunt genere, si quidem uincantur, calfaciunt: si non

uincantur, refrigerant.

Sub primo discrimine frigida complectitur, non omnia, sed in secundo, aut inferiori ordine: talium non est autem iuxta illum horum eadem fortuna: sed si uincantur (inquit) calfaciunt: sin aliter, refrigerant. In quo loco duplex est redargutio. nam neque simpliciter uerum est, quòd frigida, quæ immutãtur, incalfaciũt: quãquàm dũ sanguinis & caloris copiam augent, contrà infrigidãt. Præterea nec illud suspicione caret, quod dixit, Si non uincantur, refrigerant. Non enim tantùm refrigerant, quæ formam suam seruant, sed & quæ in succum transierunt. iam non tantùm frigida quædam medicamenta nutriunt, sed & calida.

SIN ex ijs sunt quæ exiguũ quippiam alterantur, omnino calfaciunt.

Neque hic sermo est absque controuersia audiendus. Non enim tãtùm calida, sed & frigida quædam alterantur à principio medicamenta. Nec redargutione uindicabis, si uel de ijs intelligas, quæ non nutriunt: quippe & frigida aliqua sunt medicamina, quæ à calore nostro incalfiunt, tamen nulla ex parte nutriunt.

SI uero ex ijs quæ omnino non alterantur, maxime refrigerant.

Hunc sermonem magis amicè, quàm morosè oportet intelligere de medicamentis extremè frigidis: quæ in magna quantitate calorem contemnunt

mnũt. Nam in parua quantitate aliquando alterantur, atq; longo etiam dum uſu tandem miteſcunt atq; nutriunt.

ATTENDERE autem, ut dictũ eſt, quàm maximè oportet, ac diſcernere, quæ per ſe ſunt, ab ijs quæ per accidens, nõ in calidis, & frigidis modò, ſed nihilo etiam ſecius in ſiccis & humidis, quippe aliqua talium cum ſiccam ſubſtantiam ſint ſortita, ubi largo calore ſunt liquata, humiditatis phantaſiam præbent: ueluti æs, & ferrum. Quædam per ſe humida, ubi in ſyncero frigore ſunt morata, apparẽt ſicca, ſicut glacies. Minimè igitur de ijs omnibus faciendum abſolutè & ſine ulla exceptione iudicium eſt, ſicut in ſuperioribus monuimus, ſed cum eo ut quemadmodum ſeſe in calore frigoréque habeant, conſiderẽtur. Siquidem ſi exiguo prædita calore, nihilo minus humida cernuntur, talia eſſe ex propria natura ſunt cenſenda: tametſi cum copioſo calore ſint ſicca. Quæ uerò uel ſub feruenti calore fluunt, uel ſub puro rigore ſunt cõcreta, ne horum quidem altera per ſe humida, altera per ſe ſicca ſunt cenſenda. Ergo tum ad hunc modum diſtinguere conueniet, quæ per ſe ſunt, ab ijs quæ per accidens, tum ad hæc ipſa ſpectantibus eorum quę poteſtate calida, frigida, humida,

ſiccaúe

ſiccáue ſunt, iudicium faciendum. Non enim ad id quod ſecundum accidens eſt reſpiciẽtibus, ſed ad id quod ſecundũ ſe eſt, id quod poteſtate eſt, iudicari debebit.

Hac diſtinctione Galenus ſuam opinionem infirmat, & noſtram corroborat. nam cur medicamenta frigida, quæ à calore noſtro ſunt tentata, adhucdum infrigident, ipſe pro nobis rationem adfert, dum calida ac frigida more ſiccorũ atque humidorum, in ea quæ per ſe, & quæ per accidens dicuntur, diſtinguit, ac de ijs in primo libro latè diſſeruimus. Calidorum autem ac frigidorum exempla alibi dicta ſunt: neque enim ſuccus Chelidonij frigida facultate eſt, ſi frigidum dederis, aut papaueris calidus, ſi quidẽ calidum: ſed ex operationibus ea metiri, atque æſtimare oportet, miſſis ijs quæ obtingunt per accidens.

PORRO cõmunis in omnibus unaq; iudicandi ratio eſt, alterationis celeritas. At cum calidum, frigidum, humidum, & ſiccum dicãtur ὁμωνύμως, quod ſcilicet alia per id quod exuperat, alia quod eam qualitatem à qua ſunt denominata, ſummam habeant, in utrumcunque horum promptè uertitur, de quo agitur iudicium, tale poteſtate fuerit. Oleum nanque calidum poteſtate eſt, nimirum quòd flãma facile fiat. Eodemmodo, reſina, bitumen, & pix. Vinum

num autem, quòd facile fiat ſanguis. Pari modo mel, & caro, & lac.

Iam Galeno ſubolet, multa medicamina calida ægrius in ignem aut flammam uerti, quàm frigida: & propterea calidum, in quod promptè abire medicamenta calida contendit, non tantũ ignem aut flammam intelligit, ſed & ſanguinẽ. eſt enim is quoque calidus. ſed non iuuabit illum diu hæc ſectio. primum, quia multa medicamenta calida ſunt, quæ nulla ex parte in ſanguinem uertuntur: fortè neq; ea promptè accenduntur: quippe antè dictum eſt, quòd piper, coſtus, & ſimilia, multò ſegnius accenduntur, quàm quædã frigida. Sed neque ubi ad nutrimenta uentum eſt, ſemper calidius eſt, quod in ſanguinem ocyus traducitur. Nam lac promptius in ſanguinem abit, quàm caro uolatilium: & tamen ſæpe frigidius eſt. Atque hìc forſan poßis diſcrimen raritatis ac denſitatis obijcere: non tamen per omnia continget hæc tibi differentia: quia quædam frigida in his ſimiliter ſeſe habent, & tamen nihilo ægrius inflammantur calidis.

ATQVE hæc quidem totis ipſorum alteratis ſubſtantijs nutrimenta ſe alterantium ſunt. Quæ uero unaqualibet qualitate alterantur ac mutantur, ea medicamenta tantum ſunt.

Omnis cibus & potus in corpus uicißim agit, non tamen ſemper medicamentum eſt, ſed is tantum

tum, qui corporis temperiem ſenſibiliter promo-uet, aut diminuit: eodem modo neq; medicamen-tum nutrimenti rationem obtinet, quodcunque à corpore noſtro patitur, id tantum cuius effatu digna portio in ſubſtantiam noſtram tranſu-mitur.

MEDICAMENTA itidem ſunt, & quæ nulla mutata ſubſtãtiæ ſuæ parte, ſed tota ſeruata integra, corpus ipſum afficiũt, cæterum grauia & naturæ animalis cor-rumpentia. unde & totum eorum genus deleterion & peſtilens dici reor. Quippe hæc non eo minus genere deleteria ſunt dicenda, quòd ubi plane minima exhiben-tur, nullam inferunt ſenſibilem noxam. ſic namque neq; ignis ipſe calidus ſit, neque nix frigida. Nam horum quoque ſi quid prorſus exiguum eſt, nullum euidens in corporibus noſtris excitat affectum. Quip-pe centeſima unius ſcintillæ pars eſt qui-dem omnino genere ignis: cæterum adeò nos non urat, excalfaciátue, ut corpori in-cidens ne ſenſum quidem ullum ſui exci-tet. Ad eundem modum frigidæ aſperginis centeſima portio, non modò nihil offen-dat, aut refrigeret, ſed nec ſenſum ſui ul-lum præbeat.

Sub medicamentis uenena recipit. Sunt autẽ ea duplicia: quædam enim nihil aliud quàm in-toxicant,

toxicãt, qualem canis rabidi ſpumam diximus, aut aſpidis uirus. quædam uero in parua quantitate alexipharmacis miſcentur. atque hactenus hæc medicamenti nomen ſibi uendicant. dum uerò in mediocri pondere corpus interimunt, ueneni rationem recte obtinent: ſunt autem hæc tam frigida quàm calida.

NEQVAQVAM igitur ſic iudicanda deleteria ſunt, imo totius naturæ ſuæ contrarietate. Porro iudicabitur contrarietas ex ea, quę media intercedit mutatione.

Facilè ex hoc loco eos confundes, qui aërem prædicant natura frigidum. nam ſi talis eſt, nunquam continenter poterit tranſire in ignem.

IN elementis, uerbi gratia, neque aqua mutari poteſt in ignem, neque ignis in aquam, ſed ambo in aërem, is uerò in utraq;: at illa in alterutrũ nullo modo. Ergo continens & ſine medio eſt aquæ mutatio in aërem, itemq; ignis: non continens ignis & aquæ in alterutrum. hæc igitur inter ſeſe contraria, pugnantiaq; ſunt.

Non definit uenena, quæ ſemper interimunt: ſed quæ toto genere naturæ noſtræ cõtraria ſunt. neq; hæc contrarietas, quamuis id poſtea uidetur ſentire, ex ambabus ipſis qualitatibus accipienda eſt, ſed commutationis in ſe inuicem prõptitudine: qualia ſunt quæ continenter in ſe trãſire nequeunt. Hanc *definitionem primo redarguunt*

guunt, quæ in primo aut ſecundo ordine purè medicamenta ſunt calida, ac frigida. non enim in corpus noſtrum tranſmutari poßunt, nec tamen idipſum interimunt. Iam econtrario multa ſunt tam calida, quàm frigida, quæ corpus noſtrum perimunt, alibi tamen ſtudio ac conſuetudine in alimentum tranſeunt. Omitto enim lubenter anum illam Athenienſem, quæ cicutam paulatim in ſuam naturam transferre didicit. Nam Mythridatis magis meminiße iuuat, qui contra omnem uenenorum iniuriam corpus ſuum longo uſu comparauit, ac forſitã quodlibet uenenũ in ſuam naturam commutare potuit. & ut hoc non conſtat, ita tamẽ de frigidis uenenis certum eſt. adeo ferè nihil eſt, quod uſu & conſuetudine miteſcere neſciat. Ergo apud Galenum uenena ta audire oportet, quæ ſuapte natura in corpus noſtrum tranſire nequeũt, ſed ipſa per ſe corpus interimũt, niſi ſtudio & lõga conſuetudine quis aliter aßueſcat.

NON diſſimili ratione papaueris ſuccus hominis corpori prorſus eſt contrarius, ut quod in eum quicquam agere ne una quidem qualitate poſsit.

Succum papaueris nunc prorſus, hoc eſt, toto genere, contrarium dicit. Atque hîc difficultas eſt non parua: nam in tertio de ſimplicium facultatibus non quidem toto genere, ſed ſola quantitate frigida medicamina letalia dicit. imò ali

quando

quando in noſtram ſubſtantiam tranſire ipſe ibidem docet. atqui hîc contrarium exhibet. Poteram coniectari ſuccum papaueris prorſus homini contrarium ab eo dictum, non quidem ſubſtãtia, ſed totis duabus qualitatibus. Sed & hoc redarguere apparet quod ſequitur. Verebatur autem hic forſitan potius, quàm alibi, commutationem frigidorum uenenorum, ne medicamẽtum ſub tepore infrigidare concederet. nam id ex hoc euentu planè ſequitur, atq; illius ſectæ aduerſatur. Sed non proderit illi hoc ſubterfugium. nam tametſi poſsit contendere frigida in quarto extra omnem numerum nutrientium eſſe, interim tamen inuenire eſt multa alia medicamenta frigida, quæ ſimul nutriunt & refrigerant.

MVLTO minus tota ſua ſubſtantia poſſit.

Hîc non tantum qualitatibus, ſed & genere ſuccum papaueris homini contrarium uidetur appellare. nam ſiue tota ſubſtantia, ſiue toto genere dixeris contrarium, parum intereſt. Intelligimus etiam per ſubſtantiam ipſas proprietates quæ uarias fortunas obtinent, aliquando nutrimenti conditionem ſubeunt, aliquando morbũ tollunt, aliquando ipſum hominem. Ipſa autem ſubſtantia ſiue materia per ſe nulla actione dotata eſt.

ATQVE unum quidem deleteriorum

genus eiusmodi est. Alterū eorū quæ ex nostro calore momentum aliquod mutationis accipiunt, ac deinde in multifarias alterationes uertuntur, quibus corrumpi naturam nostram accidit.

Sub priori membro frigida uenena intelligit: sub secundo calida: tamen in tertio de simplicibus etiam frigida à calore nostro quodammodo prouocari dixit, extenuari atq; digeri.

EIVSMODI enim omnia deleteria genere sunt.

Si quidem hæc referas ad frigida, iam manifestam habes controuersiam cum eo loco, qui est in tertio de simplicibus: ubi frigida sola quantitate determinat deleteria. Certè uidetur referre ad utrūque genus. nam & paulò pòst ea partitur in calida & frigida.

ETIAM si propter exiguitatem nonnunquam nihil quod sentiatur, efficiant.

Id commune est calidis cum frigidis. uerum peculiare est calidis, iuxta Galenum, ut nunquā in nostram conuertantur substantiam. atque hac de causa in libris de simplicibus potius hæc, quàm frigida, dixit toto genere deleteria. Forte neq; frigida omnia in substantiam nostram possunt conuerti, tam sunt quædam à nostra substantia aliena.

AT quæ corporis naturam rodunt, putrefaciunt, & liquant, meritò potestate calida

lida nominantur. contrà quæ refrigerant, & ſenſum auferunt, torporemq; notabilem afferunt, frigida.

Prompta eſt ueneni calidi atq; frigidi differẽtia. nam calidum ſitim facit, & omnino calidi effectus inſigniter habet, econtrario frigiditatis frigidum. nam corpus inflat, & ad torporem ſubinde perducit.

ET priora quidem nihil non rationi conſonum, nec ipſa pati, nec in corporibus noſtris efficere uidentur. Siquidem calido corpori applicata, & mutationis momentum aliquod hinc adepta, partim eorum ad ſummam caliditatem, partim proueniunt ad putredinem. Iure igitur pro affectu quem ipſa conſecuta ſunt, etiam corpus animalis afficiunt.

Obſcurus ſermo, ſententia uerò, quòd prompta ſit ratio, ac citra ullam difficultatem, omnium eorum, quæ medicamenta calida patiuntur aut agunt in corpore noſtro. Sed difficile eſt, quòd diſtinguit quædam in ſummam caliditatem, quædam uerò abire in putredinem. An hoc uelit, quòd quædam medicamenta ſimpliciter accenduntur, quædam uerò non niſi cum putredine? ſic enim ſtercus columbinum, & alia quædam accendi apparent.

AT quę corpus, tametſi ipſa calida ſunt, applicata tamen refrigerant, non paruam

dubitationem afferunt, utrius potius naturæ sint. Nam si energia semel calida sunt reddita, cur animal non calfaciunt, sin non dum sunt calfacta, quomodo apparent calida? Soluetur dubitatio, si distinguatur, quod per se frigidum est, ab eo quod est ex accidenti, ita uti Aristoteles docuit. Perit nanque celeriter eorum, quæ ex accidéti sunt calida, acquisititius affectus, ita ut in priorem naturæ suæ statum facilè reuertantur. Porrò in applicandis ijs nobis quæ natura quidem sunt frigida, sed per accidens calida, duo hæc contingere est necesse: & ut aquisititius illorum calor pereat, & propria eorum temperies, à nostra nihil immutata frigida perstet.

Quemadmodũ aqua suapte natura subinde euadit frigida: ita & medicamenta frigida sub tepore exhibita, suum ascititium calorem possunt exuere, & pristinam qualitatem ultro recipere. Nondum tamen Galenus hinc obtinere possit, quòd medicamina frigida maiorem actu frigiditatem à calore recipient, fortaßis in quarto, quàm prius habuerunt. Imo id unum ex ijs quæ maximè suam sententiam infirment, & nostrã constituant. nam si aqua incalfacta sua occulta potentia antiquam sibi frigiditatem potest reponere, certum est quòd & medicamina frigida sub tepore suam frigiditatem occultam corpori poßunt

poßunt insinuare. Melius ad calcis naturã cõcurrißet, cuius calor proditur dilutione aquæ frigidæ. nõ est enim exemplũ aliud (quippe nihil dißimulare uolumus) quod magis frigidorum medicaminum uim à calore nostro suscitari ostẽdat. Et si quidem omnium calidorum facultas hoc modo eliceretur, credi poßet quòd & frigidorũ potestas, calore excitaretur. At contrà nunc euenit, in reliquis enim ferè omnibus frigida ipsorũ uirtus extinguitur. Itaque nec uerisimile est (experientiã omitto) quòd frigidorum potẽtia prouocetur à calido.

ET quid miri, si papaueris succus, mandragora, uel cicuta, uel similium aliquid, quamuis exhibeantur calfacta, paulo pòst euadũt frigida? Cum idem patiantur ptisana, & lac, & far, & panis, ubi in imbecillum uentrem demissa, ab eo non superantur. Euomuntur enim non raro abunde frigida.

Non est æqua hæc comparatio. non enim hæc suopte ingenio refrigerantur, sed à uentris frigiditate acescunt atque immutantur.

ET quod ijs maius est, quodq; Hippocrates notauit, pituita ipsa quamuis iam succus sit, atque ex cibis in uentre iam con coctis nata, nihilominus frigida tangentibus sentitur. Neque id modò dum in uentre cõsistit, sed postquàm à uenis ipsis pur

u 5 gantis

gantis cuiuſpiam medicamenti, ut eſt de-
tracta. Tãetſi enim quàm tenaciſsima eſt,
ac per uim ducitur, attamen ne ipſa qui-
dem tractus uiolẽtia calfieri poteſt. Quid
igitur miri, ſi etiã papaueris ſuccus, quod
naturæ noſtræ tã contrarium medicamen
tũ eſt, quàm celerrime refrigeretur, etiam
ſi calfactus ſit exhibitus, refrigeret autem
unà ſecum & corpus?

Neque hoc eſt idoneum de pituita exemplum, quod medicamentorum frigidorum potentias ſimilem omnino actum ſubire aut accipere demonſtret: tantùm quædam in corpore adeò frigida arguit, ut à calore noſtro incalfieri nequeant. Neq; eſt hoc uerum de omni, ſed quadam tantũ pituita: quippe ſeroſa ipſa ſæpe excernitur tepida: ſed & mucus ipſe è naribus ſubinde emungitur calidus. etenim hoc loco decet largius pituitam accipere, quàm pro ea quæ hepatis uiciſsitudinem ſequitur. nam hæc aliquando in uentre oritur.

QVIPPE acquiſititium calorem non ſeruat, ꝓpterea quòd natura frigidius eſt. At quia eius ſubſtantia à nobis non altera tur, imo potius nos alteret & nutriat, idcirco nec à nobis quicquam recipit caloris, & pro ſua natura nos afficit. Itaque cũ frigidus natura ſit, & nos utique refrigerat.

Ex natura sua calorem ascititium potest deponere: sed non potest ex natura sua maiorem quàm prius, energiam inire. Igitur effectum non quidem ex actu, sed ex potentia sua obtinet. Vnica tantum superest dubitatio, cur hac sua potentia medicamentum non prius seipsum incalfaciat, aut infrigidet, quàm corpus proximum. Nam & prius diximus, quòd & frigida sua latente potentia seipsam infrigidet. cúrnam ergo & piper sua potentia calida, euidentem piperis frigiditatem non tollit, aut cicuta suam in se qualitatem non promouet? Videtur autem mihi propemodum similis dubitatio cum ea, quare cicuta sturnum alit, & hominem infrigidet: & econtrario mel hominem incalfaciat, apem uerò nihil immutet. Est autem una ratio omnium obiecti dißimilitudo ac uarietas. Sed de hoc postea.

NIHIL igitur in dictione nostra est dubitationis reliquum. Enimuero quod horum omnium quæ frigida natura sunt, quicquid plus iusto calfeceris, ex propria id natura recedat, præterquàm quòd nullam dubitationem habet, etiam prædictis à nobis affert testimonium. Sicut enim salamandra ad certum usque terminum ab igni nihil patitur, uritur autem, si longiore spatio igni sit admota: sic & mandragora, & cicuta, & psillium breui spatio igni admota

mota proprium adhuc temperamentum seruant, largius autem excalfacta ilico cor rumpũtur, nec quicquã efficere quæ prius poterant, ualent.

Nescio ad quod propositum ista Galenus interserat. Si quidem cogitat ex hoc exemplo frigida medicamenta, quæ in nutrimentum corporis nostri uertuntur, omnem infrigidandi uirtutẽ amittere, fallitur. nam perpetuò nonnihil corpus nostrum afficiunt: & si non mortis periculum, frigiditatis tamen excessum inuehunt: est etiam ubi ob breuitatem ipsorum à natura elaborata diligenter atque euicta nihil mali nobis impingunt.

AC talium quidem omnium natura hominibus maximè est contraria (sane naturam cum dico, uniuersam substantiam ac temperiem, quæ ex primis elementis conflatur, significo, calido, frigido, humido, sicco) eorum uerò quæ celerrimè nutriunt conuenientissima.

Temperies quidem horum ipsis maximè est contraria, ut quæ in duabus ferè pugnet qualitatibus: cum uerò & substantiam ipsam contrariam afferat, iam cum eo loco, qui est in tertio de simplicibus, pugnat, ubi toto genere deleteria aut mortalia medicamenta frigida negat. Sed nec de temperamento horum forsitan omnium uera hæc est sententia, sed quorundam tantum:

quoniam

quoniam uenena quædam inuenies frigida cum humiditate quadam coniuncta: saltem cauere oportet, ne huc referas uenena calida. nam hæc altera qualitate nobiscum conueniunt. Sed eadē paulò antè scripsit, tanto magis miror, quòd statim ea repetit.

RELIQVA omnia media inter hæc sunt, quorũ alia magis, alia minus agere ac pati à corpore nostro possunt. Siquidē castoreũ & piper, agere magis in corpus nostrum quàm pati ab eo ualent. Vinũ & mel & ptisana pati magis quàm agere. Ergo hæc omnia tum agũt circa corpus aliquid, tum uero patiũtur. omnino enim, ubi duo corpora inter se commissa aliqua multo tempore pugnant certantq́ue de alterando, utrunque eorum tum agere, tum pati est necesse. Fortasse autem etsi non multo tempore id fiat, attamen agit etiã id quod uincitur, in id quod uincit, uerum ita exiguum, ut sensum effugiat. Neque enim si acutissimo ferro mollissimam ceram toto die ac nocte incidas, fieri potest, ut nõ fiat manifestè obtusius. Ita nimirum illud cõmodè dici uidetur:

Assiduo illisu durũ cauat undula saxũ.

Quippe ita quoque factum cernitur. Cæterum uno aut altero ictu nihil adhuc euidens uidere in talibus licet, ex quo factum arbitror,

arbitror, ut quædam ab admotis sibi nihil prorsus pati opinati nonnulli sint. Et cedendum quidem est ita loquentibus. Sæpe uerò nobis quoque ipsis ita plerunq; loquendum est, nisi sicubi ad ultimum examen disputationem perducimus, quemadmodum in præsentia facimus.

Hactenus descripsit uenena & nutrimenta, reliqua omnia habet media. Proinde iuxta illũ nullum erit syncere medicamentum, quod non sit uenenum: nescio tamen an quædam talia existant, in tertio ac secundo ordine calidorum ac frigidorum: non enim id solum medicamentum dicam, cuius nulla simpliciter pars in nutrimentum uertitur, sed cui nihil tale sensibiliter accidit: ita non statim nutrimentum medicamentum dicam, quod aliqua ex parte corpus demutat, sed quod illud sensibiliter facit saltem temporis spatio. ueruntamen sunt pauca admodũ præter uenena, quæ nullo modo nutrire possint.

SIC igitur ἀεπάθεια, id est, nunquam deficientis affectionis dogma iis utiq; qui solum id ratione ipsa æstimant, ualẽte demonstratione non caret. Non est tamen eius ad priuatas singulatim obeũdas actiones ullus usus. Si nanque adeò exigui affectus sint, quibus assiduè afficimur, ut nulli actioni sensibile & manifestum incommodum

dum afferant, facilè profectò contemnẽdi sunt, atque ei qui affectus id genus nullos esse dicit, non repugnandum.

Actio & paßio semper consistunt inter contraria. Itaque fieri non potest, ut alterum non patiatur ab altero. quoniam contraria in se inuicem non poßunt non agere. Ad hunc modum & ea quæ corpus nutriunt, paulatim calorem obtundunt, & quod minimè putes, altera ineuitabilis morbi causa existunt.

PERINDE igitur habet & in iis quę nutriunt propè dixerim omnibus: quippe quæ ipsa quoque in corpore hominis aliquid faciũt, sed nec sensibile aliquid prorsus, nec euidens: diuturna tamen eorum exhibitio magnopere alterat mutatéque iam corpora.

Hoc ostendit carnis phantasia. nam tandem ferè imitatur uictum: ut qui piscibus perpetuo utuntur, fungosam ferè carnem: qui uerò suillæ ac bubula, solidam exhibent. Sed & morbi fere iis nascuntur similes.

SVNT enim & quæ primo statim usu manifestam alterationem suam indicent, ueluti lactuca quæ eos quibus uenter quidem æstuat, manifestè refrigerat, atque à siti uindicat: quibus autem refrigeratum est, manifestè lædit. Conducit uerò & ad somnum nõ parum, neque id alia ratione

ulla

ulla, quàm quòd frigido temperamento & humido eſt. Verum ſic eſt humida & frigida ad hominem, & alia quæ ab ipſa nutriri ſunt apta, ſicut uiridia ligna ad ignem. Quare rationabiliter cibi id genus utrũq; præſtant, & quòd ueluti medicaméta corpus noſtrum afficiunt, & quòd nutriunt, toto quidem cõcoquendi ſui tempore, ut medicamenta ubi iam nutriunt ac prorſus ſunt adſimilata, ut quæ nihil in nos agant, ſed naturalem calorem augeant, ceu prius eſt dictum, quippe id omnium quæ nutriunt, commune eſt.

Quòd lactuca nutrimenti firmitatem obtinet atque medicaminis facultatẽ in eodem corpore, certum eſt. quòd autem diuerſo id illi tempore obtingat, falſum eſt. non enim ut Galenus arbitratur, tantùm uẽtrem refrigerat, dũ ſuam adhuc integritatem retinet: uerumetiam hepar, uenas, ac cerebrum: quòd ſanguis in quem uerſa eſt, priori ſit frigidior: alioquin per uictum hactenus omnes affectus hepatis, cordis, præſertim cerebri, erant immedicabiles. Iam ipſe lactucam dicit ſoporiferam: quod fieri non poßet, niſi & ipſa cerebrum refrigeraret, & humectaret. Atqui hoc ipſe ueritus eſt dicere, ne ſub tepore medicamentum admitteret infrigidare: quod & dici poteſt, nec tamen hactenus concedere neceſſum eſt. non enim ſanguis ex lactuca, utpote calidus,

lidus, ſimpliciter corpus refrigerat, ſed tanquam minus calidus prioris calorem attemperat.

NEC eſt quod miremur, ſi modò exẽpli uiridium lignorum non ſumus immemores, eſſe aliqua quæ prius quàm adſimilentur & nutriant, dum adhuc concoquũtur refrigerent, cum adſimilata ſunt, ac iam nutriunt, calfaciant.

Non eſt æqua lignorum uiridium ad lactucam comparatio: quæ primum ignem quodammodo ſtrangulant, ac nouiſſimè augent. Nam ignis qui ex lignis uiridibus comparatur, iiſdem euictis ſæpe ardentior eſt. At *quòd ſanguis ex lactuca, quàm qui bilioſus antè erat, frigidior ſit, certum eſt.*

ITAQVE uſus quoq; talium omniũ duplex medicis ſuppetit, tum ut ciborum, tum ut medicamentorum. Fac nanque mutata ſit alicui optima uentriculi temperies ad calidiorem, is profectò quandiu lactucam concoquit, refrigerabitur, & mediocritatem temperamẽti aſsequetur: ubi uerò ex ea iam nutritus eſt, inſiti caloris ſubſtantiam augebit.

Hinc illud deſumptum eſt, quod uulgo dicitur, Lactuca refrigerat, ſed calidum ſanguinem reſtaurat. quod non ſine redargutione audire decet: quoniam ſanguis ex lactuca temperaturam ſui principij imitatur, atque reliquum totũ none

nihil refrigerat. Lubenter tamen hoc concedimus, quòd uentrem magis quàm reliqua refrigerat: quoniam uenter primum illius rudimentum tolerat.

IN eo igitur uel maximè ſeſe fallere uidetur iuniorum medicorum uulgus, quòd ignorat in nobis aliquando qualitatem caloris intendi, aliquando ſubſtantiam eius augeri: tum quòd utroque genere ueteres calidius factum animal dicant, quando etiam calidius fit, ſiue calorem eius intendas, ſiue ſubſtantiam, in qua prima conſiſtit, inaugeas. Finge nanque ex iis quæ in animalis corpore continentur, ſanguinem eſſe per ſe calidum, aut ſi magis placet, flauam bilem: reliqua omnia ex accidēti eſſe calida, utiq; quòd horum aliquam habeāt partem, nunquid neceſſe erit animal bifariam calidius eſſe, uel quòd plus calidorū ſuccorum ſit ſortitum, uel quòd calidiores eos habeat quàm antè? Mihi planè ita uidetur. Ad eundem modum arbitror & frigidius erit bifariam, uel quòd plures illi ſuccreuerint frigidi ſucci, ceu pituita & nigra bilis, uel quòd eorum omnium modo non mutato ſola qualitas ſit intenta. An igitur miri quicquam eſt, ſi corpus quoad cōcoquitur, qui frigidus natura cibus eſt, ſicut portulaca & lactuca frigidæ qualitatis

tis non parum percipiat, percocto autem ac iam in bonum ſanguinem uerſo calidi ſucci acceſsione calidius quàm prius euadat? Atqui ſi nihil horum aut eiuſmodi eſt, quod fieri nequeat, aut etiam adhuc mirum, deſinant iam obſtrepere, qui unum eundemq; cibum, tum nutrimẽti, tum medicamenti uſum corpori præſtare negant.

Quòd idem ſit medicamentum ac nutrimentum, ex hoc loco obtinet: non tamẽ unquam hinc aſſequetur, quòd lactuca & ſimilia in ſanguinẽ uerſa, facultatem omnino ſuam amittãt, ac tantum uentrem refrigerent. Atque hoc ipſum ſi rectè perpendas, ipſius diſtinctio oſtendit, tantum abeſt ut ipſum iuuet, quod animal dupliciter calidum partiatur. nam & nos accedente recenti ex lactuca ſanguine calorem creſcere concedemus, at eius qualitatem remitti ex hac ipſius diſtinctione cognoſcimus. nam copia à qualitate ſuperatur, adeo ut ſua qualitate ſanguinis ordinem magis imminuat, quàm copia augeat. Nam neq; hoc diſsimulare uolumus, in permiſtione corporum calidorum & frigidorum ordinem non tantùm promoueri per qualitatis incrementum, ſed & quantitatis acceſſorium.

TANQVAM enim ſi omnino nõ percoqueretur, perpetuo maneret medicamẽtum, ſic quum iam eſt percoctum, ambo efficitur.

Ambo, inquit, efficitur. Si quidem tantũ hoc dixißet, omnis redargutionis expers erat. sed ut ex aliis constet, nõ nisi diuersis & succeßiuis temporibus eas facultates prodi cogitat, alteram priusquam concoquitur, alteram postquam concocta fuerit. & in hoc fallitur.

PONE enim prorsus non concoquatur lactuca, uel si mauis, succus ipsius, quãdo is si liberalius sumatur, similem in homine cum papaueris succo effectum habet, nónne hoc casu medicamentum tantum erit, an non? Nemo (arbitror) de ea re dubitet. Ergo habet omnino lactuca & medicamenti facultatem: at uero habebat & nutrimẽti, quippe quæ persæpe nutriit. Ambas igitur facultates simul in se continet, non tamen similiter ambas ostendit. Verum ubi plus egit in homine quàm sit passa, medicamenti potius indicat facultatem, ubi passa plus est, quàm egit nutrimẽti. Nec mirum illud, est, si lactucæ tum agere, tũ pati contingit, quando ensi quoq; ceu paulò antè diximus, non solum in cerã agere, sed etiam ab ea pati accidit. Cæterum eo quòd multo amplius est quod agit, quàm quod patitur, alterum latet. At si durissimum illi ferrum admoueas, contrà magis pati quàm agere tibi uidebitur, tametsi agit aliquid tum quoque, sed negligitur

gligitur præ exiguitate eius uis. Itaq; de omnibus prorſus cibis illud pronunciare non dubitemus, quòd nõ ſolum à noſtris corporibus pati, ſed etiam aliquid agere in ea poſſunt. Iam uerò & de quibuſdam quæ planè ſcilicet & luculenter uidemus agere, quòd non tantum cibi ſint, ſed etiã medicamenta.

Non iam tantum tempora diuidit, in quibus utrunque uiciſsim obit: ſed prȩterea corpora, in quibus nunc magis hoc, nunc magis illud ualet. Nec in hoc redargui poteſt: quoniam pro diuerſitate corporis, diuerſa illius fortuna eſt.

ET lactuca quidem tam cibus, quàm medicamentum frigidum eſt. Eruca tam cibus, quàm medicamentum calidum.

Cur ergo poſtea dicit ſanguinem ex iis nihilo calidiorem, aut frigidiorem euadere?

QVÒD ſi caſtoreũ quoque ſpatio concoquitur, erit id quoque ſimul nutrimentum, ſimul medicamentum calidum. Ad eundem modum ſinapi, & piper. Ex herbis quoq; anethum, & ruta, & origanum, & pulegium, & calamynthe, & thymbra, & thymum: quippe hæc omnia tum cibi, tum medicamenta calida ſunt. prius enim quàm in ſanguinem ſunt mutata, dum ſcilicet adhuc concoquuntur, medicamenta: mutata uero in ſanguinem, non utiq; iam

medicamenta, ſed nutrimēta, ſecunda nimirum nutrimenti ſignificatione, qua id ſignificatur, quod nōdum eſt alimentum, ſed ueluti alimentum.

Videtur dubitare, an quædam ex eis in alimentum uerti poßint, an tantum ſyncere medicamenta ſint. Non tamen de origano dubitare poteſt ac ſimilibus: quia manifeſtè cibi rationem obtinent, atque ſub hac forma iucundißima eſt morborum medicatio.

ERGO ſicut de lactuca paulò ſuprà fecimus, cum duos uentres, alterum iuſto frigidiorem, alterum iuſto calidiorem finximus: ita nunc quoq; pro cōtemplandis ijs quæ poteſtate calida ſunt, proponamus eoſdem uentres. Ergo eum qui frigidior iuſto eſt, quoad in eo continentur, ac con coquuntur omnes id genus herbæ, calfaciunt, atq; ad temperamenti æqualitatem reuocabunt, proderuntq́; ut medicamenta: alterum uero qui calidus eſt, inflammabunt, ac magnopere lædēt, atque has quidem alterationes qualitate ſua inducent.

Quòd medicamenta præcipuè in uentrem agunt, id eſt uerißimum: quia prius fert illorum rudimentum: unde & affectus, qui in eo ſunt, facilem curationem ſuſcipiunt: difficilem uerò qui in longinquo poſiti ſunt. nam ferè uis medicamentorum obſtupeſcit priuſquam eò euadit.

Nam

NAM omnino percocta, & mutata, ac in sanguinem bonum iam uersa, naturalis in animali caloris substantiam augebunt, non qualitatem intendent. In totum enim siue frigidus, siue calidus potestate cibus sit, postcaquam in sanguinem conuersus est, naturalem calorem similiter augebit. quoad autem ad sanguinis formam tendit, necdum planè sanguis est redditus, refrigerat, excalfacitque animal medicamēti ritu.

Nescio quid Galeno in mentem uenit, cum hæc scriberet. nam manifestum deliramentum est, quòd sanguis qui ex eruca, origano, & similibus proficiscitur, nullo modo qualitatem sanguinis intendat: æque absurdum est, ex eruca nihilo calidiorem parari sanguinem, quàm ex lactuca.

SANE' omnis hæc disceptatio ab uno principio pendet. Quo magis seruandum id, memoriaque tenendum perpetuò, est, cuilibet corpori proprietatem quandam temperamenti esse, quæ huic quidem naturæ sit consentiens, ab hac uerò sit dissentiens. Tum si quod conueniens sibi est, in suam naturam transmutet, eo pacto caloris sui substātiam augere: sin ipsum sit mutatum, duorum alterum illi contingere, uelut calorem quendam conquirat, utiq;

ſi id à quo mutatur, excalfacit, uel propriũ calorem amittat, ſi id non calfacit. Liquet igitur ex ijs, quòd eiuſmodi omnia ex eorum ſunt numero, quæ relata ad aliquid dicantur, quum ad proprietatem mutantis naturæ quicquid aſſumitur uel nutrimenti, uel medicamenti, uel utriuſq; rationẽ ſortiatur. uerbi gratia, cicuta ſturno nutrimentum eſt, homini medicamentum. Rurſus coturnici ueratrum nutrimentum eſt, hominibus medicamentum. Siquidem coturnicum temperies aſsimilare ſibi ueratrum poteſt, quod hominum temperies non poteſt.

Manifeſtum eſt ex hoc loco, quòd prius per ſubſtantiam nihil aliud quam proprietatem intellexit, utpote qui nunc pro ſubſtantia proprietatem ponit. Definitum autem eſt prius, quòd potius aſtrorum, quàm elementorum conditionem huiuſmodi proprietates ſequantur. ac iam multo promptius, quàm ueteres, ſoluemus phyſica quædam problemata. quale in primis illud eſt, An lapis, an terra ſiccior: cur cicuta aqua plus infrigidat, cum tamen aqua ſit extremè frigida. Parum enim mihi placet, quòd hîc hactenus reſponderunt phyſici, frigiditatẽ ſcilicet aqueam in cicuta contractiorem eſſe, & ob id plus uirium habere. nam & in terra frigiditas coniunctior eſt, non tamen æquè ut in aqua potẽs eſt.

est. Esto, quòd iustam huius rei rationem dederunt, nondum tamen dixerunt, cur cicuta intybo plus infrigidet: ut omittam, nequaquam perpetuum esse, crassorum substantiam plus agere. nam tenuia sæpe ad agendum expeditiora sunt: ob quam causam uinum lymphatum plusquàm aqua sola infrigidat, & alibi album quàm nigrum, lumen quàm tenebræ, cristalloidem magis afficit. Sed de his amplè dicemus in quarto libro de symptomatum causis. Tamen uel ex his nunc satis constat, quòd multo promptior erit nostra, quàm Galeni ratio ad enodanda huiuscemodi problemata. Etenim longè alia est uirtus elementaris, alia cœlestis: hæc enim subtilior est, illa crassior. unde cœlestium uirtus in omnia etiam quàm lõgissimè fertur, ac clàm se insinuat. Eiusdem generis est & illud, Cur cicuta hominem intoxicat, sturnum nutriat: quippe quia quod frigidum est, à frigido promptius offenditur. Rationabilius erat econtrario sturnum quàm hominem à cicuta interimi. Atque hic Galenus ad uenarum latitudinem recurrit, propter quam citius in homine, quàm sturno, ad intima cordis penetralia, ut ipse commentatur, digeritur. Eadẽ ratione ferè citius interimunt uenena calida quàm frigida, & rursum frigida actu calida. Non tamen talẽ in omnibus posses reperire causam. neq; enim cur ueratrum homini medicamẽtum sit, corturnici uerò nutrimẽtum, eadem ratiocina

tiocinatio est: sed à sola substantiæ conditione pendet, quæ uni consentit, alteri plurimum dissentit. Eadem fortè occasione euenit, quòd calx aqua accenditur, oleo uerò extinguitur. Sequitur autem talis substantia non elementorum, sed astrorum potius occasionem: ne posthac aliquis credat parum momenti habere astrorum in generationibus hominum calculum. Eodem modo soluitur, cur mel homines incalfaciat, apem uerò in sua natura relinquat. nam qui aliud cogitarunt dicere, in manifestum errorem inciderunt: quales illi qui ob hoc duplicem calorem distinguunt: alterum animalem, alterum uerò, ut uocant, complexionalem: hunc in substantia, alterum uerò in spiritu & sanguine consistere asserunt: atque altero modo apem frigidã inquiũt, altero calidam. Verum hos illud Galeni dictum satis redarguit, quo testatur unumquodque tantum habere caloris, quantum sanguinis. Quòd si contendant id de calore animæ tantum dictum, ac pergant apem dicere calidam, præterquàm quòd noua quadam, & commentitia, nec unquam à Galeno cognita diuisione, Galeni autoritatem male frustrantur: insuper contra ipsam experientiam manifeste dicunt, quæ tactu apem (siquidem illi credendum est, & reuera est) indicat frigidam. Ego igitur mallem istius rei discrimen referre ad mellis proprietatem, quæ aliter sese habet ad hominem, aliter ad apem. Quòd si

solis

ſolis calor omnia ſine diſcrimine calfaciat,nõ debes ſtatim id de calore mellis aut ſimilium colligere:nam calor ſolis ſyncerus eſt:qui uerò in melle,cõuenientibus alijs aſtris commiſtus. Iam neque ſol omnia indifferenter calfacit, ſed quædã plus,quædam etiam minus, quædam etiamnum frigida manent,tantum abeſt ut mel ſingulis ſuum calorẽ imprimat. Nam neque magnes quoduis corpus ad ſe attrahit,uel ferro leuius, nõ etiã plumam. & ne à propoſito digrediamur,non ſtatim leuiorem humorem attrahit, quod craßiorem:neque enim bilioſum continuè trahũt, quæ melancholicum. Hac quoque forſitan occaſione accidit, quòd piper,zinziber,ac quædã ſimilia, euidentius palatum quàm reliquas partes inflãmant.nam ne id quidem calidioribus omnibus euenit. Iam neque uinum calorem naturalem extinguit,ſed ignem. Illinc quoq; & illud prouenire crediderim, quòd quædam medicamenta tenuium, quædam craſſarum ſint partium. ſed & ſaporum differentiæ potius qualitates occultas ſequuntur,quàm elementares.

ERGO manifeſtum iam arbitror factũ quòd iudicium eius quod reſpectu noſtri calidum,frigidum,humidum,& ſiccum dicitur, non ex ijs quæ extrinſecus ſunt poſita,ſed ex ijs quibus ipſi afficimur, certũ exactumq; fieri poſsit, atque id tanquam primum ac maximè ſit ſpectãdum, deinde

ſi res

ſi res exigit, etiam quod ab externis petitur. Nam ſi euidens ſit ad ſentiendum, & clarus ſit adhibiti medicamenti affectus, huic reliquis notis omnibus poſthabitis credendum: ſin debilis, & obſcurus, atque etiam mixtus, aut ullam dubitationem ſit exhibens, tum utiq; ad externa omnia cõferentes de eo indicandum.

Sanè unica huius methodus eſt, ipſa experientia: quoniam coniectura, quam ex externis petit, rimoſa eſt: quippe tametſi oleum promptè in flammam uertitur, uinum tamen, aloë, & multa ſimilia, ægrius quàm frigida quædam accenduntur.

AC neque horum quidem ad ea quæ longius abſunt, ſed neq; ab ipſa quæſitæ rei ſubſtãtia ſunt deſumpta. Verbi gratia, ſi oleum calidum eſt, non id inde ſpectabitur, quòd glutinoſum aut pallidum, aut leue eſt, ſed quòd facile inflammatur. Id nanque erat illi calidum poteſtate eſſe, quod celeriter in energia calidũ mutatur. Ad eundem modum & in corporibus noſtris, nõ utique id expendendum, an craſſarum partium, an tenuium, aut humidũ, aut leue, aut glutinoſum, aut pallidum, ſed an calfaciat admotum. Aequè uerò an dulce ſit, an aluum deiiciat, an ſanguinem, ſi inſtilletur, faciat in miſsione fluxilẽ. quippe

pe hæc quoq; superuacanea sunt, cum æsti mare liceat an calfaciat, cum admouetur.

Horum multa & calidis & frigidis similiter competunt. nam neque tenuia perpetuò calida, neq; crassa frigida. Quid enim de acidis & amaris medicamentis diceres? Sic & inter aluũ deijcientia quædam calida, quædam frigida, in omnibus tamen ferè dicente Galeno quandam acrem, licet latẽtem, caliditatem inuenies. nec rursum quoduis dulce calidum, quia sæpe interior acerbitas dulcedine exteriore obscuratur, & ut solemus dicere, sub melle uenenum tegitur. Nec iam quod extenuat, semper calidũ est: quoniam coagulum multis asserẽtibus, quod subtile est, inspissat: quod crassum est, extenuat. Sola ergo experientia hic absque errore est.

ERGO si notabiliter id ualenterq; faceret, quemadmodum piper, utique clarum id proculq; dubio esset. Nũc cum minime ualenter id præstet, meritò in quæstionem uenit. Multo uerò magis de rosaceo, & aceto dubitatur à medicis, atque ambigitur calidáne hæc, an frigida potestate sint.

Sensus crassus est, nec potest minimas differẽtias inuadere aut distinguere. Hæc est ratio quare medicamentis in primo ordine ratio adhibetur. nam suam qualitatem obscuram obtinent. Sic cineres, acetum rosaceũ frigidum in primo,

uerum

uerum ipſum oleum attemperatum.

AGENDVM igitur id eſt, ut in omnibus quæ poteſtate calida, frigida, humida, ſiccáue dicuntur, exactas aliquas claraſque diſcretiones inueniamus, ſicut antè de energia ſic dictis fecimus. Porrò incipiendum arbitror ab ijs quæ euidentiſſima ſunt, quando in ijs exercitatus facile conſequetur ea quæ minus ſunt euidentia. Ergo ſtatim ut corpori hoc uel illud medicamentum cibúsue admouetur, expers eſto omnis aquiſititii caloris uehementis & frigoris. Quam enim in ſuperioribus determinationem innuimus, cum ſicca & humida corpora dignoſcẽda propoſuimus, eadem nunc nobis quoque in ijs quæ poteſtate calida frigidaque ſunt, non minus erit utilis. Nam ſiue poteſtate frigidum, cum id applicas, manifeſtè calfacias, ſiue calidum refrigeres, corpus primo occurſu qualitatis acquiſitæ, nõ eius quæ propria eſt rei admotæ ſenſu afficietur. Vt ergo admotę rei uera ſynceraq; natura exploretur, tepidum quoad fieri maximè poteſt, eſto, nec ullam extrinſecus notabilem alterationem ualentis caloris, frigoris'ue ceperit. Ac prima quidem admoti medicamenti præparatio talis eſto.

Simplicia omnia tam calida, quàm frigida euiden

euidentem frigiditatem exhibent, quam ex elementis obtinent. nam potentiam, diximus, ex astris ingenitam habent. Ne ergo elementaris conditio obscuret eam, quæ ab astris occulta est potentia, tepida omnia experienda sunt. Ob eandem causam neq; succi natura frigidi exhibendi sunt admodum calidi.

APPLICATVR autem, cum eius uim exploras, non cuilibet corporis affectui, sed simplicissimo, & quoad fieri maximè potest, summo.

Simplici, hoc est, immateriali. nam an calido simul & sicco, an aliàs, parum refert. Sed materialis coniecturam nostram subinde frustrari posset. etenim dum calida materiam digerunt, refrigerationis phantasiam produnt. cur uerò, & quoad fieri potest, maximè summo affectui adhibendum est. Multiplex est causa: prior est, ne medicamento acceptum feramus, quod naturæ debetur, quæ sæpe per se paruos affectus euincit. est etiam hoc modo iudicium certius. Tertio hac ratione non solum qualitatem medicaminis discimus, sed & ipsius ordinem.

AT si summi quidem caloris affectioni admotum frigoris sensum excitet, erit profecto sic frigidum. Pari modo si frigido affectui applicatum, calidum statim appareat, id quoq; erit calidum.

Quæ mediocres affectus per se tollunt contra

rietatem

rietatem habent: maximam tamen ac certißimam, quæ maximos atq; extremos. denique mediocriter frigidum nonnihil immutabit frigidũ in summo. nam & in secundo ordine calidum nonnihil qualitatem summi caloris imminuet, nunquam tamen hic calidum frigoris aut frigidum caloris sensum inuehet.

SIN uel calidæ affectioni calidum, uel frigidæ frigidum sentiatur, non est quòd hoc calidum, illud frigidum omnino pronuncies. Est enim aliquando summi caloris affectus, quem mediocriter frigidum medicamen adeo non alterat, ut refrigerando densandoq; summum extrinsecus corpus, calorem intrò cõcludat, ac difflari uetet, indeque affectũ magis accendat.

Frigidum dum cutem indensat, humores cohibet, ac difflationem retinet, subinde calfactionis similitudinem præbet.

ITA uerò & si quid frigido affectui admouetur, nullum adferat calorem, uidendum est num id, cum sit aliquid mediocriter calidum, nihil egit in affectum, qui summi indiguit caloris.

Eodem modo & calidum aliquando nonnihil refrigerat, dum nunc contrà calidum humorem digerit: non tamen id nunc Galenus respexit, qui de immaterialibus loquitur, sed medicaminis imbecillitatem suspectam habet, quã contemnit.

temnit affectus magnitudo. Hoc *de aqua frigida in febribus paulatim pota quidam auderent dicere, quòd magis ſitim prouocet quàm ſedet. ita & alibi contingere poſſet, quòd medicamentum modicè calidum collatum cum affectu maximè frigido fortè rarefaciendo potius ipſam exaſperet, quàm mitiget.* Fateor *quòd in tertio ordine calfacit, non omnino ignauum eſſe contra affectum extremè frigidum, nihil tamen admodum ſenſibile exhibet, præſertim ſi in ſecundo tale fuerit, aut magis in primo. ergo in mitiore affectu forte in tertio medicamentum explorandum eſt. quòd ſi neque ibi ſe prodat, ad ſecundum, deinde ad primum ordinem ueniendũ eſt. ita enim non tantùm qualitatem, ſed ordinẽ quoque qualitatis inueniemus.* Forſitan *autem neque in eo affectu qui primi ordinis eſt, quicquam magnũ aut euidens faciet. nam hic ordo partim experientia, partim rationali demonſtratione indiget.* Sed *de ijs alibi.* Hanc Galeni *ſententiã nonnihil obſcurauit interpres, nã ſic* Græci *habet,* σκέπτεσθαι μήτι μετρίως ὑπάρχον θερμὸν οὐδὲν ἔδρασεν εἰς τὴν ἄκρου θερμοῦ δεομένην διάθεσιν. Cuius *hæc uerbatim eſt interpretatio,* Conſiderare *decet, ſi non mediocriter exiſtens calidum, nihil egit in eum affectum, qui ſummi eguit caloris.* Cuius *hæc eſt ſententia,* Videndum *an non ob eam cauſam, quia mediocriter tantum calidum fuit, nihil egit in affectum, qui ſummi eguit*

caloris, quippe summè frigidum. Fortè suadet, ut illi ipsi affectui admoueas aliud medicamẽtum, de quo constat, & certum est, quòd sit mediocriter calidũ. Nam si neq; illud quicquam mouet, affectus arguit magnitudinẽ, qui parua medicamenta cõtemnit. Quocirca hoc prius medicamẽtum in mitioribus affectibus experiundum est. Ex ijs & similibus mille locis liquet, quòd multis partibus sit difficilius sententiam exprimere, quàm interpretationem reddere.

ERGO nec sic admoti medicaminis exploranda uis est, nec si ex accidenti aliquid efficiat, non per se. Iudicabis autem quòd ex accidenti aliquid facit, tum ex affectu ipso, tũ tempore. Ex affectu, si is simplex est, ac unus.

Propter priorem casum non satis est experiri medicamentum in affectu summo: sed paulatim oportet experiri in mitiore: deinceps distinguere decet id, quod per accidens fit, ab eo quod per se est: ac facultatem secundariam, à primaria. Vt autem hoc discernas, oportet meminisse, quod prius dictum est: medicamentum sub tẽpore exhibendum expers caloris ac frigoris.

AT à tempore determinabitur iudiciũ ad hunc modum. Quod protinus ut admotum est calfacere uel refrigerare manifestè cernitur, id utique & ex se & per se tale fuerit. Quod tempore id facit, fortasse ex

aliquo

aliquo accidenti huc est actum.

Indistinctus est hic sermo, ac tantum ad iudicium qualitatis elementaris siue manifestæ attinet, non autem potentiæ. nam medicamina ferè nisi sub tepore exhibentur: frigiditatem, quam ex elementis retinent, primo occursu exhibent. quòd si sub tepore adhibeas, iam quoq; teporem inuehunt, quamuis nunc calida, nunc frigida illorum potestas fuerit. atq; omnino suam potentiam non statim, sed subitò impingunt, actus uerò statim se produnt.

VELVTI iuueni quadrati corporis tetano æstate media laboranti, frigida liberaliter affusa caloris repercussum facit. Cæterum quòd aqua frigida per se non calfaciat, ex primo eius occursu patet: sensum nanq; inuehit frigoris. Præterea cutem quoad ei affunditur, frigefacit, tum calorem nec in omni corpore, nec dum affunditur, inuehit. Imo tantum in iuuene quadrati corporis, & æstate media, & postquam à perfundendo est cessatum. Sicut igitur frigida quibus incidit, hęc ilico perfrigerat, siue animata corpora sunt, siue inanimata, siue calida, siue frigida: ita si quod esset tempus, uel corporis natura, uel affectus ullus, in quo frigida primo statim occursu caloris sensum inueheret, iure quæri posset, calfaceréne an frigefacere

per ſe nata eſſet. Nunc autem cum omnia tum animata, tum inanimata, protinus & perpetuò ab ea frigeſieri cernamus, quibus autem inſitus calor ueluti fons quidã ignis in uiſceribus eſt, his adhibita repercuſſum aliquãdo caloris facit. Rationabile arbitror ex accidenti, nõ per ſe talia calfacere: ſed nec latet qua ratiõe illud accidat.

Pro repercuſſu Græca lectio habet ἐπανάκλησιν, neſcio an retroceſſum interpretari auſim: motum ſcilicet eum, quo calor naturalis ab exterioribus ad interiora pellitur. Certe nequaquàm in ſequentibus eodem nomine utitur. Forſitan idẽ intelligit per ἐπανάκλησιν, quod mox per ἐπάνοδον: hoc eſt, ſecundum motum, quo ſanguis rurſum fertur ab interioribus ad exteriora: atque hunc propriè repercuſſum appellamus: atq; is eſt, qui partem infrigidatam recalfacit. Proinde non ubique aqua frigida repercuſſu calorem prouocat, duntaxat in his qui ſanguine aut calore abundant, in reliquis uerò calorem extinguit, aut infirmat. cauſam ſtatim ſubijciet. Interim temerariæ muliérculæ ſuum errorem corrigant, quæ ſine diſcrimine uirtutis ac corporis paruulos infantes cachecticos ac uentricoſos frigidis fontibus imbuunt, ac ſubinde in perpetuum ualetudinarios reddunt, aliquando mortuos educunt.

SIQVIDEM ſtipata cluſaque corporis

poris ſumma facie repercuſſus refractusq́; fit caloris eius, qui à profundo aſcendit, quiq; ſimul propter difflatus inopiam eſt aceruatus: ſimul propter frigidi circũſtantis uiolentiam in altum recedit, ſimul ex ſuccis iſtic habitis nutritur.

Imperfectè forſitan etiam malè hunc locum interpres reddit, qui pro κατακλήσῃ τοῦ θερμοῦ, hoc unum uidetur poſuiße, clauſa ſumma corporis facie. Sane qui uel à limine rudimenta Græca didicerit, facilè intelliget quantum hæc interpretatio à Galeno diſceßerit. Videtur autẽ hac oratione ſignificare concluſionem caloris, fortè à principio κατάκλησιν, pro κατάκλυσιν ſcriptũ erat: ut ſit ſententia, conſtipatione cutis & defluuio calidi calor repercutitur. Verùm utut orationem uerteris, obſcura manet: nec iuſtam, ut apparet, repercußi caloris cauſam continet. non enim ob eam calor reuertitur propriè, quia cutis ſtipatur, aut calidum concluditur, aut ad interiora delabitur, ſed quia ab internis uiſceribus parum admittitur. Proinde ſpinoſa hæc eſt dictio, neq; ſatis ſcio quomodo Galenus eam ſcripſerit. hoc unum ſcio, quòd aqua frigida primùm cutem refrigerat, deinde denſat, ſimul autem & calorem ad interiora propulſat. atq; hic aliquo tempore moratus iterum propter abundantiam quæ hic eſt, reuerti cogitur, nec ſolus, ſed cum fœnore: nam per frigidum & intus collectus

lectus, & à proximis ſuccis auctus eſt. uerùm an hæc eius principalis cauſa ſit, quòd auctior & uberior redijt, poſtea inquiremus. nunc quod ſequitur perſcrutemur.

QVIPPE ubi collectus nutritusque calor ad ſumma corporis uiolentius ruit, fit quidam caloris repercuſsus.

Nunc multo clarius, quàm prius, repercuſſum ſecundum motum appellat, quo ab interioribus ad exteriora ſanguis regurgitat. nam eius definitionem hic ponit.

IVDICIVM uerò ac documentum, quòd frigida nequaquam per ſe calorem auxit. Nam per ſe quidem cutem perfrigerauit, frigus uero eius denſitas & reditus caloris ad profundum ſunt conſecuti. Rurſus horum denſitatem quidem difflatus prohibitio, reditum uerò ad interiora concoctio, conſummatioque qui iſtic ſunt ſuccorum, eſt adſecuta. Horum uerò difflatus prohibitio, caloris colligendi, ſuccorum concoctio, eiuſdem generandi fuit occaſio. Porrò horum utrunque natiui caloris ſequitur auctio. Ergo intercedentibus & medijs utriſq; frigida in animalis corpore caloris aliquando excitat incrementum, per ſe nunquam.

Ordo ſic ſeſe habet: frigida refrigerat, frigus cutem condenſat, & calorem ad interiora propellit

pellit: nunc densitas difflationem prohibet, intercepta uerò difflatio calorem colligit, atque unit: ita neq; calor dum ad interiora regurgitat, uno modo confert, sed succos imperfectos in uisceribus perficit, atq; nouum sanguinē gignit, utroq; modo tum cutis cōdensatione, tum caloris regurgitatione ipse calor augetur. Proinde nequaquàm per se, sed multis intercedentibus medijs frigida incalfacit, non tamen præcipuam eius causam mihi uidetur Galenus aſsecutus. etenim ipse putat, quòd impulsus intrò sanguis tum ex collectione, tum ex concoctione fiat uberior, quod in momentaneis repercuſsionibus fieri non potest: attamen quod uel ex ijs sanguis redeat affatim liberalior, omnibus manifestè notum est. Cuius causam ego magis credo, quòd repulsum sanguinem interiora uasa non nisi grauatim admittant, & tandem reuomant. nam & prius satis onusta erāt. quare nunc maius onus indignata, non solum quod aduenit, sed & partem eius quem prius continebant, repellunt. uulgo enim dicitur, Fluxus fluxum prouocat: propterea non iam in omnibus sanguis repercuſsus cū uorsura redit, sed his tantùm, quibus in ipsis uisceribus fons est uberior. in alijs enim partes externæ refrigerantur, subinde emoriuntur. Quamuis iuxta hanc Galeni rationē forsitan uel hic quoq; decebat fieri liberalior sanguinis regurgitatio. & hæc sit altera opinionis eius redargutio.

SED non minus calor, eſt quando ex accidente perfrigerat, utiq; intercedente uacuatione, ſicut perfuſio phlegmonem. Cum enim ex calida fluxione phlegmone conſiſtat, propria quidem eius curatio, uacuatio ſuperflui eſt, uacuationi autem particulæ, quæ per phlegmonem excalfacta eſt, omnino ſuccedit refrigeratio. Ergo cum duplex in ijs, quæ phlegmone laborãt, particulis affectus ſit: unus quidem in quantitate, ex ſuperuacui naturæ modum exeuntis abundantia, alter in qualitate, qui ex caloris ſpectatur ratione, ſequitur prioris eorum curationem, etiam poſterioris curatio. fiuntque ex accidenti quæ uacuant, calentis materiæ remedia, & inflãmationis particularũ refrigeratoria.

Eodem modo calidum non ſua, ſed intercedentis opera refrigerat, neque id tantum in materialibus affectibus, ſed & in immaterialibus: unde ſanguinem ſaltem & ſpiritum digerit, in quo calor habitat.

ERGO tum hæc diſcernere oportet, tum id agere, ut pro modo ſimplicis affectus etiam uirium medicamẽti inueniatur modus. uerbi gratia, ſi calidus in ſummo affectus ſit, frigidum quoq; in ſummo medicamentum paretur: ſin affectus à ſummo paulo recedat, medicamentum quoq; à ſummo

à summo paulum declinet. Si plus à summo calore absit affectus, ad portionē absit à summo frigore medicamētum. Quippe si auspicatus à tali coniectura examen eorum sis, facilius propriam cuiusque inuenias uim.

Epilogum nunc Galenus eorum perstringit, quæ antè latè disseruit: ac primum medicamentum de quo ambigitur in simplici affectu, ac ut coniectura capit, in eodem ordine tentat. Id autem præcipuè obseruare oportet, ubi cognitum affectum cognito medicamine tollere uolumus, præterquàm in paucissimis corporum statubus: de quibus in Techna.

AD summam enim in omni simplici affectu calido quodcunque adhibitum medicamen primo statim occursu frigoris sensum intulit, id frigidum potestate est, ac multo profecto magis, si post primam exhibitionem tale perpetuò manet.

Iste, ut diximus, locus definitione opus habet. Nam omnia medicamenta primo occursu suo quodammodo frigida sunt, iuxta energiam, quā ex commistione elementorum obtinent: etiam uinum, mel, & multa similia: quod si sub tepore exhibueris, nec sic quoq; primo occursu suā qualitatem propriam insinuant.

QVOD si calidum affectum prorsus sanet, frigidum id ex necessitate fuerit.

Oportet hoc cum alijs prioribus accipere. nã seorsum ac per se ueritatem non obtinet, quum multa calida per accidens calidum curent.

ADHIBENDVM uerò est, cum exploratur omnino tepidum, ut prius testati sumus.

Ita neq; calidum medicamentum primo suo occursu frigidum apparebit: neq; frigidum calidum. frigidũ etiã sua facultate repercußiua spoliaueris. nam id duntaxat poßunt actu frigida.

VBI iam cognitum est tale esse, deinde curationis causa tale petitur, rectius frigidum sumitur.

De frigido medicamine loquitur in affectu calido. nã hic potius est exhibere frigidũ, quàm tepidum: ita rursum & in frigidis potius exhibere calidum, quàm tepidum: omnino enim pro affectu atque tempore ipsa comparare oportet, nunc calida, nunc frigida. Ita & de potu stat alibi certa Galeni sententia, ut æstate frigidum, hyeme exhibeamus calidum. Et quomodo ergo uulgus medicorum omnia medicamenta omni tempore exhibet egelida?

NISI si medicamen summi sit frigoris, morbus in summo caloris non sit.

Idem & in calido medicamine: nam actus contrarius nonnihil potestatem imminuit.

ATQVE hæc quidem diffusius tum in opere de medicamentis, tum curandi methodo

methodo tradentur: ad præsens illud saltẽ nouisse oportet. Si quod calido & simplici affectui adhibitum medicamentum, tum protinus, tũ toto deinceps tempore frigoris sensum, ac facilioris tolerantiæ iuuamentíque laboranti affert, id frigidũ necessario est, tametsi in alijs nonnunquã uideatur calidum. Deprehendentur enim in illis, si diligenter exploretur, non utiq; per se, sed ex accidenti excalfacere. Cum per se dicimus, uel primum, uel nullo intercedente medio, omnibus eiusmodi uerbis idem potestate significamus. In quibus omnibus lectorẽ in opere de medicamentis proprijs exemplis exercitabimus.

Affectus ordinem, in quo medicamentum tale explorandum est, nunc non determinat: si quidem tamen à summo incipias, erit uia paulò tutior. nam si à primo ordinis affectu aliquo incipias, ut statim potes agnoscere an cõtrariũ effectum obtineat, ita ne affectum aliquando irrites, periculum est. Adde quòd neq; ordinem medicamẽti sic poßis discere. Ergo certior, licet paulo lõgior, si a summo incipias. quippe & corpus hoc modo minus periclitabitur, & ordinẽ apprimè inuenies. nõ enim simpliciter, sed in eodẽ ordine frigidum æstimare oportet, quod affectum in quarto ordine attẽperauerit: quòd si id minus possit, affectui in tertio exhibẽdũ est: fortè enim hũc

omnino

omnino medicabitur: ac iam inuenisti quod in tertio tale erat, atque ita deinceps. nam medicamentum in secundo ordine frigidum, nunquàm per se tollet affectum in tertio calidum: sic & medicamentum calidum in secundo ordine, affectum frigidum in quarto subinde nihil emendabit, sed rarefaciendo plus infrigidabit, id tamen rarius, ita ut cogitare facilius ista sit, quàm experiri.

NVNC recensitis ijs, quæ antè iam dixi, proposito libro commodum imponere finem tentabo. Cum nanque calidum corpus multifariam dicatur, nam & quod summam eiusmodi habet in se qualitatem, ipsum scilicet elementum, & quod propter eiusmodi qualitatem pollentem, nomen est sortitum, adhæc quod collatum ad aliud dicitur, uel ad id quod mediocre eiusdem sit generis, uel quicquid sors tulerit, sic & quod potestate calidum est, energia uerò nondum dici potest, intelligi probarique multis modis oportet.

Non sunt significationes calidi actu & potestate eædē, aut similes, sed ferè numero æquales. nam ut calidum actu multifariam dicitur, ita calidum quoq; potentia uariè distinguitur. Ac ut cætera omittamus, primo sic appellatur quod nondum tale est, sed propediem per se tale futurum

rum eſt: ſecundo quod materia alterius eſt, & hoc quoq; tale futurum: ſed eſt differentia. nam Galenus primo modo poteſtate talia eſſe definit, quæ ſuopte ingenio ac citra alterius operam talia fiunt: atq; hæc nomenclatura nullis medicamentis poteſtate calidis conuenit: quia nullum eorum ultro accenditur, ſed elaboratione caloris egent, priuſquàm in calidum mutantur. Itaque ſecundo modo Galeno hæc poteſtate dicuntur, quia in calidum actu minimo accepto initio uertuntur. Iam actu calidum uarium eſt, flamma, pruna, ſanguis. Proinde & hunc modum tandẽ quoque in ſuas licebit partiri differentias: atq; totidem erunt poteſtates, quot ſunt actus.

QVO utique minus rectè ſi quid non ſtatim inflammatur, id aliqui ne ut ad nos quidem eſſe calidum poteſtate putant. Nã ſiue facile concoquitur, & cito nutrit, erit ut ad nos calidum, ſiue admotum ueluti medicamentum calfacit, erit id quoque ut ad hominem poteſtate calidum. Sic nimirum & per ſingulas animalis ſpecies ipſum poteſtate calidum, ſiue eſt ut medicamentum, ſiue ut nutrimentum, ad illud tantũ animal collatum dicitur. Eſt enim ex ijs quæ ad aliquid referuntur, quicquid poteſtate aliquid dicitur.

Duas ſpecies calidorum explicat, nutrimentum & medicamentum: cautè tamen nunc ad

motum

motum medicamentum calfacere, non autem in calidũ uerti ait: quod si & in alijs locis fecißet, omnem redargutionem subterfugißet.

QVARE & probatio quæ propria est, melior utique est, quàm quæ ab externo petitur.

Externa probatio est, quæ à calore, aut craßitudine, tenuitate, aut aliter sumitur.

PROPRIA uerò est una in singulis, utique si celeriter tale fieri appareat, quale id esse potestate diximus. Est enim potestate ignis quicquid celeriter in ignem uertitur: potestate uero calidum, ut ad hominem (est ex speciebus eorum quæ ex eo quod in ipsis præpollet, dicuntur) quicquid homini applicatum naturalis eius caloris, uel qualitatem auget, uel substantiam.

Si calidum potestate est, quicquid caloris in homine qualitatem aut quãtitatem auget, iam & lactuca calida erit: ipse ergo uiderit, ne nominis rationem confuderit. sed hæc ex priori sua hæresi proficiscuntur omnia.

EADEM mihi & de alijs censeri dicta uelim, quæcunque scilicet potestate frigida uel sicca, uel humida dicuntur, quum hæc quoque partim ueluti ad ipsa elemẽta, partim ueluti ad ea, quæ ex præpollente sunt nominata, tum intelligi, tum explorari.

rari, tum doceri conueniat.

Quemadmodum calidum medicamentum dixit, quod in ignem, uel in quo ignis præpollebat, uerti poterit: ita frigida, & humida, & sicca definit, quæ in similia elementa promptè commutantur, uel in ea, in quibus hæc elemēta superant. Atq; id ipse rursum uiderit: nam bilis exiccat priusquàm in scrobem aut puluerem abit: iā lactuca solida est, & tamen humectat.

PATET uero eum quoque qui iudicat tactum, omnis acquisititij caloris & frigoris expertem esse debere, sicuti de medicamentis ipsis prius est dictum.

Nescio cur hic tactum liberum, & omnis alienæ qualitatis expertem exigit: non enim tactus potentias, sed manifestas medicamentorum qualitates, hoc est elementares, non autem cœlestes decernit. Quæstio autem, an tactui, ac reliquis sensibus aliquod iudicium tribuas, ad alium locum attinet.

HIERE

HIEREMIAE THRIVERI BRACHELII COMMENTARII IN LIBRVM GALENI DE INAEQVALI INTEMPERIE.



NAEQVALIS intemperies aliàs in toto animalis corpore fit, ueluti in ea hydropis specie, quam Græci ἀνασάρκα uocant.

Satis incondito hic ordine Galenus utitur: quoniam inæqualem intemperiem diuidit prius quàm definit. nam contrà fecisse oportuit, quod & nunc nos faciemus, primùm ostendentes, in quo inæqualis intemperies siue morbosa magna ex parte à salubri intemperie differat. nec est procul posita. Nam salubres intemperaturæ dolore uacant, morbosæ uerò siue inæquales magna ex parte coniunctum habent, cuius rationem si sciuerimus, scopum totius huius libri obtinebimus. Pendet uerò id ex inæqualis temperaturæ definitione, quam Galenus putat diuersarum particularum diuersum temperamentum, non quoduis

quoduis, ſed illud tantùm, quod à morboſa cauſa in uarijs partibus uariè excitatur, ratione cuius altera alteram afficit, ac fortaßis altera incalfacta eſt, altera uerò adhuc incalſit: nec eſt dubium, quin altera alteram afficere poteſt: uerùm talis inæqualis intemperies parũ artificij habet. neque omnem inæqualem intemperiem hæc deſcriptio cõtinet. Nam ab ignis æſtu forſitan corpus dolebit: tametſi omnes corporis partes æqualiter, hoc eſt ſecundum proportionem incalfiant. Igitur nõ uidetur hinc propriè naſci dolor, quòd proxima pars ſua inæqualitate alteram afficiat: ſed quia naturale patitur ab innaturali, modicũ ab immodico, adeò ut ſi fieri poßit quod una omnium in homine eßet partium natura, fortè modicè calida, & ut nunc dicimus attemperata: tamen quod foris incidit, calidum aut frigidum dolorem moueret: atque inæqualem temperiem faceret. Non eſt ergo nobis inæqualis intemperies diuerſarum partium diſpar temperamentum, ſed eiuſdem partis intemperamentũ ex naturali affectu & innaturali quoddam miſtum. Neque hic nobis periculum imminet, ne contraria clàm in eodem conſtituamus. Nam ut calidum non fruſtra agit in frigidum, ſed aliquod relinquit ueſtigium: ita non ſtatim frigidum euadit calidum: duntaxat in quadam uia conſiſtit ad calidum. Quod ſi iſtud concipere non potes, quomodo & à calido, & à frigido ſi

mul particulam immutari intelliges? atq; ita tamen euenit in febre hepiala, ubi qualibet pars & à calore, & à frigore æqualiter patitur. nec est quòd dicas sensum non aßequi, & tamen minimis particulis secundum rationem ea distingui. nam id uerè commentitium est, quòd si talis febris exemplum uobis incognitũ sit, simile quid imitari potestis, si pedem in aquã frigidam submerseritis, brachium uerò totũ in calidam. Nã in uniuersum corpus hoc modo mixtus caloris & frigoris sensus diffundetur. quippe si alterum istorum tantum tentaueritis, non est dubium, quin pro eius ratione uniuersum corpus qualitatis sensus tentabitur, ergo si utrunq; feceritis, mixtus proueniet sensus, nisi malitis dicere, utrũq; simul suo effectu destitui. Efficacius ergo exemplum erit, si frigida ac calida affatim ac simul aliquem perfundi cogites: atque hoc modo non iam simplicem, sed duplicem inæqualem intemperiem potestis cognoscere, ubi utrunq; extremorum aut contrariorum, agit in id quod est medium. nec mirum, si molesta sit, quoniam ex duobus componitur, quæ continue inter se agunt & patiuntur: nec prius doloris sensus remittitur, quam actio & paßio desinat, quod tum primũ fiet, quando extranea illa qualitas in habitum transijt, uel illa extincta pars ad naturalẽ habitũ redijt. utroq; enim modo actio desinit: quippe à simili nulla fit actio aut paßio, neq; citra hãc

ullus

ullus dolor aut uoluptas. Quòd si perpetuò corpus aliquid patiatur, momentanea tamen & leuis hæc passio est, adeo ut sensum subterfugiat, nec inæqualis intemperiei ratione mereetur. atq; hæc tantùm de ipsius definitione: nunc quod superest, sigillatim Galenum audiamus.

ET febribus ijs, quas ijdem Hepialas appellant, fereque reliquis omnibus, exceptis quas Hecticas nominant.

Satis ex superioribus liquet, quòd omnis morbosa intemperies, quæ nōdum in habitum transijt, inæqualis sit, nec tamen ubique dolore proditur. nam humida intemperies ferè dolore uacat: est autem non hæc tantùm in anasarca, sed in ascite, si quidem uentrem spectes. nam reliquum corpus tabe quidem ac siccitate laborat. In febribus uerò oritur inæqualis intēperies calida, exceptis hecticis, atq; illic simplex, in hepialis uerò duplex, nisi in alijs siccitatem æstimes: nam hac ratione in omnibus ijs duplex est. Quòd si iam materia frigida sit, & humida, ferè quadruplex est. uerisimilius tamen est, quod in hoc loco inæqualitatē respexit, quæ paulo antè augmentum est, in qua quodammodo pugnat calidum cum frigido. de qua in fine.

INCIDIT autem & in unaqualibet parte, cum ea uel intumuit, uel phlegmone, gangræna, erysipelate, cancróue est affecta.

Per eam, quæ intumuit, œdema, ac mollem tumorem intelligit. Vno autem uerbo, omnis humor ut morbosus est, ita quoq; suæ intemperiei corpori aliquid allinit.

HVC pertinet & qui Elephas dicitur, & Phagedena, & Herpes. Verũ hæc omnia cum fluxione consistunt.

Elephantem nunc particularem morbum ac tumorem dicere uidetur, aliquando autem uniuersi corporis, uulgo lepram dicũt. Proinde apud ueteres eius nominis duplicem usum uideo: uidetur autem Elephas esse non quiuis tumor melancholicus, sed præsertim in extremis membris.

ABSQVE autem materiæ affluxu solis partium qualitatibus aliquatenus alterãdis inæquales intemperies fiunt, utique refrigeratis ijs aut deustis, aut immodicè exercitatis, aut feriatis, aut aliquid id genus passis.

Victus prius humorem parit, quàm intemperiem: at aër & ea quæ foris occurrunt, ferme ecõtrario prius temperaturam uitiãt, quàm corpus onerant: ex ijsdem motus est, quies tamen: quam nunc credo per Feriatos intelligit: prius corpus grauat, quàm temperiem labefactat.

IAM ex ijs quæ foris corpori occurrunt inæqualis intemperies gignitur, dũ id uel frigesit, uel calesit, uel siccatur, uel humectum redditur. Quippe hæ simplices intem

intemperies sunt, ueluti in ijs quæ de temperamentis scripsimus, est monstratum. Compositæ ex ijs aliæ quatuor sunt, cum corpus calefit simul, & siccatur, uel calefit simul & humectatur, uel refrigeratur simul & siccescit, uel refrigeratur pariter & madescit.

Tum ex his, tum similibus locis colliges, quòd subinde qualitas elementorum uincit, quãquàm ipsum elementum nulla parte substantiæ magis quàm antea excedit.

QVOD autem eiusmodi intemperies ab ęqualibus eo distent, quòd in omnibus intemperanter affecti corporis partibus æqualiter non insint, id clarè liquet. Ergo quis sit omnis inæqualis intemperaturæ generandæ modus, in proposito libello statutum est exequi.

Hic inæqualem intemperiem diuersitate particularum manifestè finit: mihi uerò diuersitate qualitatum magis uidetur subsistere, quæ in sese mutuò agunt. Fateor, neque negare possum, quin in morbis plerisque diuersæ, affines tamen particulæ, diuersum temperamentum subeunt. Fieri enim non potest, ut omnes ab una causa inuadantur eodem more. Sed hæc differentia sæpe momentanea est, ac quam sensus discernere nequit: raroq; talis, quæ alteram sensibiliter offendat: alioqui & in sanis partibus maior est dis

cordia quàm pugna, tanto temperamento natura inter diuersas partes usa est, sic dico & in hydropisi (cuius prius meminit) diuerso modo frigus ipsum partes afficit. rarò tamen tanta est differentia, ut hac de causa sese inuicem offendant, & dolor fiat. Idem sentio & de febre acuta, quæ hominem multis diebus tenuit, sed nondum in hecticam transiuit. hoc enim tempore subinde uniuersum corpus iuxta proportionem quandam incaluit, necdum in habitum trãsijt, sed doloris particeps mansit. Iam neq; dolor in loco inflammato à proximis partibus infertur, sed a qualitate morbosa atq; excellente oritur. Sed agè forsitan in principio proximæ partis sesesipsas offendunt, cum nondum iuxta rationem omnes similiter partes sint incalfactæ. etenim & hoc fieri potest: nunquid & in hectica igitur omnes similiter partes affectæ erũt, id statim fieri non potest: ex quo constat, quòd nunquam in hoc solo inæqualem intemperiem constituere licebit. Melius est ergo morbosum temperamentũ (ratione cuius inæqualis intemperies quæritur) duplex distinguere. Alterum acrarius, quod in naturam transijt, ac tantumnon omne naturale temperamentum perdidit. Alterum multo frequentius, quod nondum totam partis indolem expugnauit, sed adhucdum cum eo sensibiliter dimicat, atque id quidem est quod dolorem inuehit. Proinde inæqualis intemperies dicitur, non

quidem

quidem ut Galenus putaſſe uidetur, quia cum proxima parte pugnat, ſed quia inter naturale & aduẽtitium quædam pugna exiſtit. eſt enim inæqualis intemperies quædam media qualitas, ex temperamento naturali & peregrino ac aduentitio quodammodo compoſita, in quo forſitan neq; calidæ partes cum frigidis, aut forſan humidæ cum ſiccis bene compoſitæ ac in unum ſubactæ ſunt, ſed pugnant in ſe inuicem. Nũquid ergo contraria in eodẽ ponimus? abſit. non enim ſtatim ſi quid patitur calidum à frigido, calidũ & frigidum ſimul exiſtunt. quinimo in eundem calorem, qui modicè ſeſe habet, ſimul calidum & frigidum immodicè agere poſſunt. atq; hîc duplex oritur inæqualis intemperies, nec quicquam impoſſibile committitur: ſed pugna quædam inter has qualitates cum quodam dolore ſentitur. Sed de his ſatis prius.

ADMONENDI autem ſumus, quo clarior omnis nobis diſputatio ſit de omnibus corporis particulis principio à maximis ſumpto, quæ ſcilicet ne uulgo quidem ſunt ignotæ. Siquidem manus, & pedes, & uentrem, & thoracem, & caput, nemo eſt qui ignorat. Diuidamus autem earum rurſus unamquanq; in proximas ſui, quæ προσεχῆ Græce dicuntur, particulas: Verbi gratia, crus in femur, tibiam, & pedem. Item totum brachium in brachium,

cubitum, & summam manum. Item manus ipsius particulæ sunt, uola, & pars eius aduersa, (μεταχάρπιον Græci uocāt) & digiti. Digitorum uerò particulæ sunt ossa, cartilago, ligamentum, arteria, uena, membrana, caro, tendo, unguis, cutis, adeps. Has autem diuisisse in aliam speciem non est, sed sunt similares ac primæ, exceptis tamen arterijs, & uenis. Hæ nanque ex fibris & membranis sunt conditæ, ueluti in tractandæ dissectionis ratione est traditum.

Arterias & uenas in multis locis inter similares ac primas numerat: quoniam obiter sensus eas tales æstimat: dum tamen exquisitè earum substantiam diuidit, inter compositas habet. Iam licet idem sit, partem esse similarem & simplicem: non est tamen idem instrumentalem esse & dissimilarem. nam sæpe simplex instrumentalis est: iam neq; dissimilaris semper instrumentalis.

QVINETIAM complura esse spatia inter ipsas primas & similares particulas. Atque ijs etiam plura maiora minoraque inter ipsas instrumentales & compositas, aliqua uero & in unaqualibet similari particula, ueluti osse, cuteque. hæc quoque omnia in ijs, quæ de administrandis dissectionibus scripsimus, sunt prodita.

Sunt quædam spatia satis euidentia inter in

strs

ſtrumentales, ſunt anguſtiora inter diuerſas partes ſimilares, uerbi gratia, inter cutem & carnem. Iam tertio & in ipſis ſimilaribus quædam ſunt ſpatia, ac pori. oſſa uerò quædam, ac nerui aliquot manifeſtos habent meatus, reliqui occultos.

AC quæ mollia quidem ſunt corpora, ea quoniam ſibi inuicem incumbunt, interpoſita ſpatia latere conſpicuum faciũt. Quæ dura ſiccaque ſunt, in ijs cernere ſpatia licet, ſicuti oſsium cauernulas. Continent hæ naturaliter multum in ſeſe humoris, huiusque craſsi & albi, in id comparati, ut oſſa nutriat. Quæ in cute foramina ſunt, ea qua ratione fiant, in ijs quæ de tẽperamentis præcepimus, eſt dictum. Atq; hæc monuiſſe neceſſarium erat, claritatis cauſa eorum, quæ à nobis deinceps ſunt dicẽda. De inæquali uerò intemperie nũc agendum, tum quænam eius natura ſit, tum quot eius generandæ modi.

Hippocrati aſcribitur, quòd decreſcente Luna in oſsibus extenuetur medulla: ſed quòd deſideretur, ſimpliciter falſum. Quamuis nec prius illud ſuſpicione caret: etenim licet Ariſtoteles ignorauit, peculiare ipſorum nutrimentum exiſtit. Longè ergo alia ratione meatus in cute fiũt, alia in oſsibus. etenim in cute obiter fiunt excrementis ſibi molientibus exitum, in oſsibus uerò

studio quodam & ex professo naturæ quasi penarium quoddam nutrimento ossium, nec id est intellectu difficile, si meminerimus naturam nihil temere operari, sed pro materiæ opportunitate. Oportet autem & hoc adijcere, quòd spiritus mille artifex sit, qui in diuersis partibus diuersas obit effigies.

ERGO quod in omnibus corporis particulis, quod fluxione est affectum, unica temperies non sit, prius est dictum: uerum id commune omnis intemperamenti inæqualis est. Differentiæ eius ipsam corporum affectorum sequũtur naturam, quum aliter simplex caro, aliter uniuersus musculus impari tẽperamento sit affectus.

Iterum Galenus inæqualem intemperiem ex diuersarum partium diuersis intemperamentis finit, idq; iã ex professo probare nititur. Et quòd quidem in febri suborta non una in singulis corporis partibus intemperies fiat, sed uaria, uerum est: ac ex diuersitate genuinæ tẽperaturæ euenit. prout enim earum alia alia frigidior est, & rursum calidior: ita unaquæq; magis ac minus afficitur. plurimũ enim calidissima ac propinqua, minus ea quæ distant, ac præsertim frigida sunt. sed ista propositum nondum conuincunt.

QVIPPE calida fluxio, ubi in musculum procubuit, primum maiores arteriæ uenæque opplentur atque distenduntur,

ab ijs minores: atque ita res procedit, donec ad minimas ſit peruentum. In ijs ubi ualenter impacta fluxio eſt, nec adhuc ſiſtitur, partim eius per ipſarum ora, partim per tunicas ueluti colatum, foras transmittitur: tum uerò ſpatia ipſa uacua, quæ inter prima ſunt corpora, fluxione implentur. Sic omnia ab humore, omniq; ex parte incaleſcunt ac perfunduntur. Ea ſunt nerui, ligaméta, membranæ, caro ipſa, anteq; hæc arteriæ & uenæ, quæ ſcilicet & primæ, & præter cætera uario dolore afficiũtur. Quippe interius à fluxione, tum excalfaciunt, tum diſtenduntur, ac diuelluntur, exterius non modò excalfiunt, ſed etiam premuntur, ac degrauantur.

Poſt arterias & uenas implentur ipſa interſtitia, quæ inter diuerſas partes ſunt, deinceps ipſa in ſe corpora, recipientibus quæ in ijs ſunt poris ac meatibus.

RELIQVAE particulæ aliæ compri mendo ſolum uel incaleſcedo, aliæ utroq; modo laborant.

Variæ ſunt occaſiones dolorum: ſummatim tamen duæ, inæqualis intemperies, & magis ſolutio continui. non enim quæuis intemperies dolorem infert, ſed quæ promouit, ac iam ferè continuum ſoluit. oportet autem non tantum manifeſtam diuiſionem ſub ſolutione continui compræhendere

hendere, ſed compreßionem ac diſtentionē. Nam *in diſtentione ferè dolor maximus.*

APPELLATVR'QVE morbus iſte Phlegmone. Eſt autem inæqualis intẽperies muſculi. feruet enim iam qui in eo eſt ſanguis. Is ſecum excalfacit primũ quidem ac maxime arteriarum & uenarum tunicas, mox uerò omnia quę extra has ſunt, quibus ſcilicet circunfunditur. Ita duorũ alterum neceſſe eſt ſequi: ut ſi fluxio uicerit, corruptio ſequatur uictorum corporum: ſin fluxio ſit uicta, ut muſculi ad naturalem ſtatum redeant.

Phlegmone morbus ſimilaris eſt: eſt autem aliquando in eo loco, ubi & inſtrumentalẽ committit. de quibus in libro de morbis & ſymptomatibus.

ESTO igitur prius uicta fluxio (rectius enim à melioribus incipitur) duplex hic incidit curationis genus: quòd uel digeretur quicquid humoris in particulam decubuit, uel concoquetur. uerum digeſtio optanda maximè curatio eſt.

Inflammationes, ubi ad extremum ſermo deducitur, tribus modis finiuntur. aut enim inſenſibiliter reſoluuntur, atque id paucis admodum contingit, ſcilicet ijs quæ ex materia tenuiore ſunt, multæ ſenſibiliter, ut pleuritides, peripneumonia, & quæcunque ſub tenuiore latent tuni-

ea, atque hic est breuißimus morbi terminus. Quædam uerò ex craßiore & frigidiore sanguine sunt, quas suppurari oportet: quod nunc per concoctionem intelligit: alioqui etiam eas quæ resoluuntur, prius concoqui oportet.

CONCOCTIONEM hæc duo necessario sequũtur, puris generatio, & eius in aliquod spatium abscesio.

Quòd id quod suppuratum est, protrudatur in spatium aliquod proximum, fortuna ipsius suppurationis fieri apparet. nam quod suppuratum est, craßius est quàm quod per integrã particulam expurgari poßet: itaque uiam & manifestum meatum sibi molitur, adeo ut iam in priore loco ægrè contineatur, sed in proximum spatium incũbat, unde paulatim expurgatur: atq; id alterum genus abſceßuum est. Alterum uerò ab humore acri oritur, qui à principio spatium sibi aliquod inter membranas duas molitur, ac separat, quæ prius sese inuicem contingebant, de quibus alibi liberalius. Eodem nomine aliquando continebamus eas inflammationes, in quas aliæ abierant, neque nunc aliud his nomen positum scio. Nam & Leonicenus in tertio artis curatiuæ ita quoq; reddidit: ueruntamen Cornarius diligens interpres tum hic, tum in aliis locis apocema, non apostema scriptum animaduertit. Latinam tamen aliquam communem uocem, quæ illi respondeat, nondum inueni: nec nomina

adeo curamus, quando res rectè discernimus. In prioribus nostris commentarijs priusquàm Græcum exemplar in librum de arte curatiua haberemus, suspicionem super hoc loco prodidimus, nescio quid mali de eo suspicati, quod propter desiderium Græci exēplaris corrigere, aut inuenire non licuit.

ABSCEDIT aliquando in capacitatem quæ propinquæ sunt, tum maximam, tum minime momentaneam. Quod sanè abscessionis genus optimum est. Aliàs in non momentaneam quidem, non tamen maximam. Interim in maximam, non tamē non momentaneam. Ac quæ in uentriculum incidūt abcessionum, optima est, quæ in sinum eius internū abit, in quem etiam plerunque se aperiunt: mala uerò, quæ sub peritoneum.

Summa rerum est, quòd bonus est abscessus, qui in ignobile aliquod secedit spatium, ac magnum, unde prompte & sine discrimine possit expurgari, ut in intestina: sed contrà aliquando expurgatur in nobilem & angustam conca uitatem, ut in medium uentrem cerebri: aliquando in paruam, sed ignobilem, sub cutem scilicet: aliquando quidem in magnam, sed nobilem, ut forte in uentrem.

PARI modo in ijs quæ circa cerebrum existunt: Bona est, quæ in priores eius uentriculos

triculos abſcedit: mala, quæ ſub inuolucra eius: item quæ in poſticum eius uentrem ſe recipit. Qui uerò circa coſtas abſceſſus colliguntur, hi in capacitates erumpunt pectoris, ac muſculorum quidem abſceſſus ſub cutem.

Priores uentres magis ignaui ſunt, atque ad expurgationem magis opportuni: poſticus uerò & medius multarum rerum promptuaria ſunt, nec ab ipſis quicquam promptè purgari poteſt. Sed de ijs apud Galenum in libro de locis affectis.

VISCERVM uerò in arterias & uenas, quas in ſe continent, uel in membranam qua operiũtur, quæ ipſis pro cute eſt.

Hinc factum eſt, quòd aliquando uomica pulmonis per ueſicam expurgata ſit.

AC ſi uictæ à fluxione particulæ fuerint, in tantam deuenient intemperiem, unde tum earum pereat actio, tum ipſæ ſpatio corrumpantur.

Vulgo dictum eſt, quòd omnis exceſſus tollit operationem: nec mirum id eſt, quoniam calor qui eſt omnium artifex, in mediocritate cõſiſtit, quem tollit immodica imtemperatura, aut qualitas: iam temperatura ipſa inſtrumentum ipſarum operationum exiſtit: uerum & natura & operationes modica exiſtunt, & proinde inſtrumentum quoque tale eſſe decet.

Porrò

PORRO' desinent tum primum dolere, cum mutatrici qualitati fuerint assimilatæ. Non enim cum mutata particularum temperies iam est, siue (ut sic loquar) in ipso mutatum esse, dolent, sed dum mutantur, siue in ipsa mutatione, quemadmodũ mirus dixit Hippocrates, Dum alterascit atque corrumpitur natura, dolores fiunt.

Actio inter contraria existit: quocirca ubi inæqualis intẽperies æqualis est reddita, statim actio, passio, ac dolor desinit. Fortè aliquid naturæ nostræ reliquum est, quandiu uita aliqua superest. sed subinde illius portio minor est, quàm quæ sensibilem alterationem sustineat: quomodo & in sanis uires elementorum citra nostrũ sensum sese paulatim conficiunt. Est alia difficultas de uulneribus, quæ postea ferè magis affligunt. uerum hoc non est propria uulneris ratione, sed distentione ac mordicatione, quæ humorum affluxum sequuntur. Clarissimè autem ex hoc loco colligitur, quòd inæqualis intemperies non committitur per diuersam diuersarum partium temperaturam, sed eiusdem. Nam tametsi omnes partes similiter essent secundum proportionem alteratæ, in omnibus dolor fieret, donec altera pars intemperamenti esset exclusa.

ALTERATVR autem ac corrumpitur cuiusque natura, cum uel calefit, uel frigefit, uel siccatur, uel humefit, uel eius

unitas

unitas dissoluitur, in ijs quidem intemperamentis, quæ inæqualia sunt, excalfaciendo, uel exfrigefaciēdo potissimum: quippe cum efficacissimæ qualitates hæ sint: secundo loco è siccando, uel humectando.

Quòd caliditas ac frigiditas non citra dolorem fiant, certum est. Humiditatem tamen & & siccitatem Galenus in primo de medicamentis secundum loca, à dolore uindicare apparet: & reuera rarior ex ijs qualitatibus dolor, præterquàm ubi ex siccitate conuulsio sequitur. Humiditas autem per se, nescio, ubi dolore cruciet, nisi eò usq; peruenerit, ut continuum quodammodo relaxet: uerum eum excessum in corpore humano raro reperies.

EX esuriendo uerò, uel sitiendo, deficiente hic humida, illic sicca substantia, ex uulnerando & erodendo, & tendendo, & premendo, & conuellēdo, unitate ipsa soluenda.

Insolentia potius quædam est, ac molestia, quàm dolor, quæ famem & sitim sequitur: de qua re alibi plura: nam non sine suspicione Galenus nunc sequi ueteres aliquot uidetur, qui iacturam humidæ substantiæ potius sitim quàm famem facere dixerunt: cui contradicere apparet, quòd fames plerunq; sitim anticipat. Est autem certissimum quòd citius humidæ quàm siccæ partes detrimentum patiantur, forsitan

igitur abeuntibus partibus humidioribus, reliquũ ſiccius relinquitur, ac ratione qualitatis relictæ ſitis ſequitur. ſic & cibus ſitim parit, quia nonnulla ex eo ſiccitas corpori comparatur. Ergo ſitis ob exceßum qualitatis, fames uerò ob deſideriũ ſubſtantiæ uidetur euenire: iuxta quam ſimilis ſubſtantia ei quæ defluxit appetitur. nã quæ remanſit, forſitan paulò ſiccior euaſit. Sic & in ſiti magna corpus uehementer exiccatum eſt, & tamẽ humida appetit, quæ ſaltem ijs quæ perierunt, ſimilia exiſtunt. Sunt autem ſimilia & ijs quodammodo, quæ remanſerunt, quamuis ordo remißior eſt. atque in hoc ſoluitur alterum problema, cur ſiti arefacti, adhucdũ ſani, humida appetunt, quum tamen qui pulchrè ualẽt, diſſimilia faſtidiunt.

ERGO ſi calor ſanguinis in particula quæ phlegmone laborat, mitis eſt, tũ qui in toto animalis eſt corpore mediocriter attemperatus, non facile unà cum afflicta particula calefit: ſin uel ille feruet uehemẽtius, uel qui per totum ſpargitur animal, bilioſus eſt, ilico totus ad calorem uertitur: multo uero magis ſicubi ambo concurrunt, ut & qui in phlegmone habetur admodum calidus ſit, & qui in toto eſt animante bilioſus.

Magnum momentũ ad morbos obtinet corporis diſpoſitio, paritas atq; imparitas: hac ratione eue

ne euenit, quòd in tẽperato corpore nõ admodũ febres accenduntur, prõptius tamẽ quàm in frigido. atque id quoq; hic definire oportet.

PORRO calefit primum qui in arterijs est sanguis, quòd scilicet is tum natura calidior, tum uerò magis spirituosus sit: post hunc uerò etiam qui in uenis est.

In hac ratiocinatione miserè conflictati sunt neoterici. quidam enim ob hæc putauerunt diariam febrẽ præcedere omnẽ putridã: quidã uerò id quidẽ negauerunt, sed dũ alterationẽ inquirũt, qua spiritũ ab alteratione in febribus putridis aßerunt, multa pueriliter cõmentati sunt. nã quòd spiritus in his omnibus primũ incalescat, negare non poßunt. non tamen diaria febris habetur: quia ultra spiritum humores quoque accensi sunt: diariæ uerò appellãtur, in quibus præter humores solus spiritus alteratur.

QVOD si propinqua uisceri, cui plurimus sit sanguis, obsessa phlegmone particula fuerit, iam celerius cum hoc uniuersus qui in animali est sanguis, calore afficitur; unoq; uerbo, quicquid ex facili alterabile est, aut calidum natura, id à quouis calfaciẽte primum excalfit. Non secus & ab eo quod frigefacit, quicquid facile alteratu est, uel natura frigidum, id primum refrigeratur.

Hæc est ratio, cur ferè inflammationes inter-

norum uiſcerum febres acutas faciunt, maximã enim communionem cum uenis & arterijs habent, tametſi ipſa aliquando ſua natura frigida ſint: exteriores uerò inflammationes, aut nullam febrem pariunt, aut tantum diariam.

AC promptus quidem ad alterandum ſpiritus eſt, utpote ex tenuiſsimis conſtãs partibus. Calidiſsima natura merito eſt flaua bilis, ac frigidiſsima pituita eſt. Reliquorum humorum ſanguis poſt flauam bilẽ maximè eſt calidus, ſicut nigra bilis poſt pituitam eſt frigida. Quinetiam alteratur flaua bilis leui momẽto ex quouis in eam agente: nigra ęgrè alteraſcit.

Contentio eſſe ſolet, an ſpiritus bile ſit calidior. hanc nunc diremit Galenus, qui bilem ſimpliciter, ſpiritũ, tamẽ prõptius alterabilẽ dixit.

IN ſumma, quicquid tenuium eſt partium, id prompte alteratur: cõtrà cui craſſæ ſunt partes, ægrè.

Cauſa eſt, quia actio & paſsio per mutuum quendã fiunt complexum, citius autem inſinuatur agentis uirtus raro quàm denſo, niſi forſan & ipſum agens peruia quadam ſubtilitate dotatum fuerit. hac ratione euenit, quòd fulgur potius ſolida ac dura tentat, quàm rara, ac mollia, ac quercus potius quàm ſalicem, aut ſicca potius quàm humida. Poſsumus duobus uerbis dicere, quòd tenuia & mollia citius alterantur, ſed difficilius

ficilius rumpuntur, aut aliter læduntur: cedunt enim promptè corpora mollia, resistunt dura.

ITA necesse est multifariæ phlegmonis alterationes incidant, propterea quòd multifariam affecta sunt corpora. Principio nanque succus qui phlegmonem excitat magis minúsue calidus est: deinde succi putrefactio pro ipsius natura respondet: non minimum certè, prout is magis minúsue est impactus. Quippe quæ perspiratu carent, celerrimè putrescunt, ueluti & in externis accidit omnibus. Cæterum cum calida temperie sunt, & humida, tum utique potissimum. Iam ipsa phlegmone laborans particula uel propè, uel longè sita est à multi sanguinis uisceribus, totusq; sanguis uel biliosus est, uel melãcholicus, uel pituitosus, uel spirituosus, atque hæc omnia magis minusq;. Quare necesse est, multiformes fieri alterationes, siue alterũ alteri sit collatum, siue idem sibi.

Non uno modo phlegmone afficit corpora, sed pro uarietate sua, ipsorum corporum, etiam-dum ipsarum particularum: hoc est, quod nunc dicit, aut alterũ alteri collatũ, aut idem sibi ipsi.

FIVNT hæc omnes inæquales corporis intẽperies, maximè quidẽ inflãmato eo qui in phlegmone est sanguine, deinde eo qui in uisceribus habetur, & corde.

Et hic quoque locus inæqualem intemperiem diuersitate particularum definit: quod cur Galenus fecerit, coniectari nescio. An fortè contrariorum rationem timuit, ne in eodē ipsa pateretur? at id, ut suprà dictum est, nihilo magis nostram opinionem sequitur, quàm suam.

ATQVE huius maximè eo qui in sinistro eo sinu est. In quem (sicut in opere de usurpandis manu dissectionibus est dictum) si uiuo etiam animante, nec adhuc febre tentato, dimittere digitum uelis, uehementissimū deprӕhendes calorem. Quo magis uerisimile est, ubi totum corpus præter naturam incalescit, hūc maximè sinum ad summum peruenire caloris.

Contrà Aristoteles hunc frigidiorem æstimat, nescio ob quam causam: nam quòd spiritus in hunc potius quàm dextrum attrahitur, calidiorem arguit, tantum abest, ut frigidiorem demōstret: quippe ob eam causam huc attrahitur, quia eius refrigerio magis eget, non tamē ob hoc uniuersa corporis sinistra pars est calidior, non etiam intensiue, ut uocat, sed dextra, quoniam liberaliore sanguine affunditur, ac plura uiscera calida obtinet, nec secus quàm sinistra pars spiritu uitali oppletur.

QVIPPE cum tenuissimū maximeq; spirituosum sanguinem habeat, ac moueatur perpetuò.

Ex motu eius arguitur, quod maximè spirituosum sanguinem contineat. uerum an motus ipsum potius incalfaciat, quàm refrigeret, ipse uiderit. potius enim refrigerare uidetur.

CAETERVM in febribus id genus omnibus calefit quidem sanguis aliquando uniuersus, quicunque non naturalem illum calorem, qui ex humoris putrescentia est obortus, concepit: non tamen aut arteriarum uenarúmue tunicæ, aut aliud ullum circumiacentium corporum prorsus iam temperamẽtum suum mutauit, sed adhuc mutatur, atq; alteratur incalescens, siue, ut sic loquar, calefiẽs. Quod longiore tẽpore hoc patitur, etiã uincetur aliquãdo prorsusq; mutabitur, ita ut nõ amplius calefiat, sed iam sit præter naturã calefactũ.

Ad inæqualitatem partium redit: sed frustra ex hac inæqualem intemperiem sperat. Est grauior hîc, meo quidẽ iudicio, error. nã quod in primo de febribus ex proposito disserit, hic innuit, in putridis febribus spiritus & humores nõ amplius incalfieri, sed incalfactos esse: quod perpetuũ esse nõ potest. nam in intermittẽtibus calor nunc intermittitur, nunc succenditur, atq; in cõtinuis sæpe usq; ad statũ promouetur. Et hîc facile est colligere, quòd in hoc loco interpres pro calefit, calfactum esse, reddere debuit.

PORRO terminus mutationis est eiu-

iusq; particulæ functionis læsio.

Per læsionem nunc omnem internecionem accipit. Videtur autem hoc paulò durius dictum: quamuis enim operationes earum partium, quæ hecticam aliquam intemperiem patiuntur, omnes flacceant, nondũ tamen omnino perierũt, leue aliquod momentũ retinent, donec iam emortuæ sint. Quòd si læsionem uulgatè accipiat, imperfectus erit sermo. Nam læduntur diu antequàm hecticam temperaturã partes incurrant: cur tamen non doleant hectica intemperie affectæ particulæ, in quibus nondum tota natura penitus perijt, antè diximus: quia proportio sensum effugit. intelligere ergo oportet per læsionem propemodum omnem operationis internecionẽ.

AD quem usque terminum omnis alterationis latitudo uia est in id quod præter naturam est, ueluti mixtum communeq; ac medium quiddam ex contrarijs utrisque compositum ipso naturali prorsus affectu, & eo qui iam planè est præter naturam. Ergo toto hoc tempore corpus incalescens, pro modo alterationis etiam ad portionẽ sentit dolorem.

Hoc modo inæquale temperamentum definire oportuit. neque hinc sequitur contraria in eodem consistere. non enim siquis calida perfundatur, statim calidus est, duntaxat nonnihil ex calido patitur. adeo in hac re miror, grauißimos

hæsiße

hæsiße philosophos. Nam ex primatibus aliquis melius de his dißeret.

QVVM uerò omnes corporis solidæ particulæ excalfactæ ad absolutionē iam sunt, eiusmodi febrem hecticam Græci uocant, ceu non amplius iam in humoribus & spiritu, sed in corporibus ijs, quæ habitus rationem habent, compræhensa.

Caue ne propter hanc & similes definitiones in febre hectica spiritum & sanguinem caloris febrilis putes expertia. Nam id fieri nequit, solidis iam omnibus incalfactis. Id præterea contra generalem febris definitionem eßet, quæ omnia extraneo calore notat, etiam si duntaxat diaria eßet, tātùm abest ut hectica multorum dierum solis solidis contineatur. Verum hectica appellatur, quæ in solidas corporis particulas sedet. in quo sermone sub solidis carnem & uiscera oportet compræhendere. nam hæc cū humoribus collata, reuera solida sunt. Sic putrida appellatur, non quidem ea, quæ à spiritu abstinet, sed quam humores excitant. Et quomodo precor ira uniuersas solidas particulas poßit incalfacere, nisi spiritus & sanguinis distributione? Non tamen putredo, aut multus admodū calor illis insidet, & ob hanc causam urina de illis minorem phantasiam exhibet.

HAEC doloris est expers, putantq; qui ea febricitant, omnino se febre carere:

neq; enim sentiunt eius calorem, omnibus scilicet eorum partibus æquè percalfactis. Sed & cõuenit de ijs inter naturalis sciẽtiæ professores in ijs quæ de sensibus prodũt.

Non uidetur mihi eius ratio esse, quia calor omnes ex æquo partes obtinuit, sed potius quia opposita temperatura ferè omnis explosa est, ac propemodum euicta. Iam neq; illud certum est, quòd hectica omni dolore careat. nam hecticam dicimus, cuius calor in corporis habitu sedet. talis est qui ab ira subinde occepit. & quomodo ergo primis diebus omni dolore uacabit, priusquã natura eiecta fuerit? Aliud est ubi hectica ardentem sequitur.

NEQVE enim citra alterationem est sensus, neque in ijs quæ iam ad perfectionem sunt alterata dolor. Itaque etiam hecticæ febres omnes tũ sine dolore sunt, tũ nec sensu ab his qui ipsis laborãt perceptę.

Simile non patitur à simili: proinde neque ijs quæ perfectè alterata sunt, ullus amplius imminet sensus aut passio: ueruntamẽ an in hecticis omnibus eousq; peruenerit alteratio, nondum definitum est. Certe neq; in diarijs spiritus, neq; in putridis humor statim extremè incaluit, sed paulatim augmentum ac statum obtinet. Ita neque in hecticis statim ad extremum calorem solida perueniunt, sed paulatim promouent, ac si mihi aliorum pace liceat quod sentio dicere, per ardẽ

tem

tẽ febrẽ solida magis incalfacta erunt, quàm per hecticam, quæ nunc illam excipit. Quapropter nescio quibus ambagibus Galenus *utitur, dum in diaria spiritum, in putridis humores incalfactos dicit: sed hic solida, illic humores incalfieri. melius diariam tantum in spiritibus, putridam in humoribus definiuisset: atq; his ambabus difficilior est hectica: non quidẽ quia iam primũ in solida incalfacta sint, nã antea fortè magis incaluerunt, sed quia illarum calor in difficili subiecto positus est, nec amplius ab humoribus ac spiritu pẽdet.* Ac *iam triplici de causa hecticæ minoribus doloribus quàm putridæ lacessunt. primũ etenim hecticæ quædã citra inæqualẽ temperiẽ consistunt, altero cõtrariorũ exploso: deinde etiã calor illarum minor est: ac postremo plerunque partes si non ex æquo, tamen iuxta proportionem quandã incalfactæ sunt.* Prima *mihi uidetur potissima, quoniam, ut dixi, & in ardente ea quæ forsan præcessit, ac tres quatuórue dies perdurant omnes ex proportione (si experientiæ credis) incaluerunt, necdum tamen dolore uacãt, tum quia qualitas externa maior, tum quia multæ partes naturalis affectus reliquæ sunt, quæ magna ex parte in hectica sunt explosæ.*

NON enim ex eorum particulis hæc agit, hæc patitur, cum omnes inter se iam similes sint redditæ, ac unicam habeãt consentientem temperiem.

Hic

Hic iterũ alludit ad suam opinionem, iuxta quam inæquale intemperamẽtum definit, diuersarum partium diuersum intemperamẽtum. Verũ si nobis quod uidetur dicere licebit, ex omni parte uerum nõ est, quòd in hectica febre omnes partes ex æquo iuxta proportionem calidæ sint aut incalfactæ. non enim hectica statim omnes partes similiter occupat, sed ut in alijs putridis, in principio diuersas partes diuerso modo tẽtat.

QVOD si alia earum calidior est, alia frigidior, at certe eatenus frigidior, ut uicinam nihil offendat, alioqui sic scilicet partes, quæ pro naturæ modo se habent, mutuo se offenderent, utpote quæ sic saltem temperamentis dissideant. caro nanq; calida particula est, os frigidum. Ceterum tam harũ partiũ, quàm reliquarũ omniũ indoles inæqualitas est, modi excessus merito.

Est & altera istius rei in sanis causa, quia licet aliarum partium natura sit calida, alia frigida, omnes tamen ferè actu calidæ. Fateor est inter hæc quædam inæqualitas, sed minor, quàm quæ se inuicem offendat. Itaque nihil mirum, si in hecticis febribus altera nulla ex parte offendit proximã, uel ob eam causam quòd hic calor febrilis omnia sibi inuicem magis assimilauit quàm ibi natura.

SIC namque nec aër qui nos ambit, prius offendit, quàm ad immodicum calorem

nem frigúsue est immutatus. Cuius alioqui quæ in medio sunt, differentias, tametsi numerosas ac manifestum excessum inter se habentes, citra noxam sentimus.

Maior est in uictu differentia. non enim tantum uinum ferimus, sed & cereuisiam, quidam etiam aquam, ut omittam harum inter se specierum differentias. Nam & carnem, & pisces, ferè similiter toleramus, saltē à nullo offendimur: nec dubito qui magis diligentis quàm multæ lectionis fuerint, id subinde sint admirati: quoniā pugnare uidetur cum antiquo axiomate, quod perhibet, simile nō recreari nisi simili. Atqui ijs & similibus prius, & in Plutarcho nostro respondimus. Accedit autem & id quod nunc addimus, nō quemuis, sed tantū insignem aliquem excessum afferre offendiculum.

EX ijs ergo fortasse nec illud dici durius uideatur, quod Hippocrates alicubi ait, Omnem morbum ulcus esse. Quippe ulcus unitatis est diuisio. Immodicus uero calor ac frigus proximè accedunt, ut unitatem soluant: plurimus quidem calor, dum segregat ac diuidit substantiæ continuitatem: summum uerò frigus, tum stipando, tum introrsus pariter trudendo, quædam exprimit, quædam quassat, atque hunc qui spiā immodici caloris ac frigoris terminū statuens fortasse non incommodè sentiat.

Non quæuis intemperatura morbosa est, sed quæ uehementer aucta est. hoc autem uno in omnibus modo definiri nõ potest, sed dolore quodammodo distinguitur. ferè enim hæc dolorẽ affert, nõ tã per se, quàm per accidẽs, dũ quadã solutione corpus distrahit. ac id in calido & frigido facile est ostẽdere: nã calidũ id facit rarefaciendo, frigidum condensando: neceßariũ est autẽ in utroq; ut partes quædã longè à seinuicẽ distrahantur. Idẽ quoq; de sicco poßes dicere: sed de humido minus. Quinimo Galenus alibi ferè eã dolore uacare dicit: at in hac dictione Hippocrates humidũ quoq; uidetur cõpræhẽdere: & ut antè diximus, humiditas multa relaxando cõtinuum quoq; quodãmodo soluit. In hãc sententiã putat Galenus Hippocratẽ omnẽ morbũ ulcus definiuiße, similarẽ scilicet. nã pauci ex instrumẽtalibus talẽ phãtasiam exhibẽt: quippe neq; figura, neq; magnitudo, neque numerus cõtinuũ admodũ soluere reperitur. ergo solutio cõtinui naturalem à morbosa intẽperatura distinguere potest.

SEV uerò is, siue alius immodici excessus terminus est, certè consistere omnem immoderatum excessum in habitudine ad aliquid iam liquet.

Suspectum utrunq; terminum Galenus habet: nec immerito, quando hectica intemperatura, & multæ aliæ dolore carent, nec soluti continui phantasiam præbent. ex quo illud constat,

quod

quod paulò antè diximus, quòd in ijs imtemperies calida minor sit, quàm in ardentibus. Certior ergo morbosæ intemperaturæ terminus est functionis oblæsio.

NON enim pari ratione à calidis frigidisq; afficitur omne corpus: indeq; fit, ut aliqua animalium conuenientes inter se succos habeant, aliqua nõ solum non conuenientes, sed etiam qui se mutuo corrumpant, ueluti homo, atq; uipera, quorum utriusq; saliua alteri est pernicies.

Vipera serpens est, cuius fœmina ore concipit, atq; inter concipiendum masculi caput conterit.

ITA utique & scorpium necaueris, si ieiunus illi inspueris.

Scorpius scorpiũ nõ necat, uerũtamẽ uenenũ ex eo relictũ alter scorpius appositus tollit: ac quòd id fiat, cõstat: quomodo uerò fiat, pauci sciũt, nec inquisiuerũt quidẽ: ac fortè ut medicamẽtum simile humorẽ, ita scorpius quoq; sibi similẽ qualitatem elicit. ac quomodo ergo tostus, & in cibo sumptus prodest? nã si ad se attrahit, potius intoxicare debet: & rursum si expellat, & retrudat, quomodo foris appositũ adiuuat? Potius dicam, quòd scorpius ut calidus est, ita uirtutem extenuandi, præsertim à se relicti ueneni obtinet. huius illud magnũ est indiciũ, quòd nõ quæuis uenena à se illatum malum auferunt, sed calida tãtum.

AT non homo hominem morsu necat,

nec

nec uipera uiperam, nec aſpis aſpidem, ſiquidem quod ſimile eſt, id congruum amicumq́; eſt: quod contrarium eſt, inimicum ac noxium. Augetur enim quidque ac nutritur à ſimilibus, premitur ac corrumpitur à diſſimilibus.

Cur mel hominē incalfaciat, apem uerò non item, aut cur quod hominē rapit, ſcorpium non intoxicet, ex proprietate quadam, quæ ex aſtris impingitur, eſſe diximus. Quòd uerò homo homine, pars parte citius incaleſcat aut frigeſcat, temperaturæ acceptum fertur. Itaque non eſt unus in omnibus temperaturæ modus, qui ſanitatem terminet: ſed methodo quadā ex dolore, ſolutione continui, atq; operationis uitio idipſum captare oportet.

ITAQVE etiam ſanitatis tutela per ſimilia perficitur, morborum ſublatio per contraria. Verum de ijs alius eſt ſermo.

Vtraq; pars finitionibus opus habet. nam ſimile potius qualitate quàm genere aut ſpecie audire oportet. nec de actu tantùm qualitatis, ſed potentia tertio in eodem ordine ſubaudire oportet. Eadem ferè in altera dignitate audienda ſunt. Primum contrarium audire oportet, nō quidem propriè, ſed pro oppoſito. Secundo nomine, contrariorum, non tantùm conferimus inter ſe potentias, aut rurſum actus, ſed utrunq; inter ſe communiter. Tertio diligēter diſcernere oportet.

tet, quid mediate, quid continenter accidit. nam quod cõtinenter curat affectũ, oppositũ est semper: at id quod apponitur, sæpe simile: ac id est medici artificiũ, qui ex simili subinde effectũ spectat, ac elicit contrariũ: sic aqua frigida morbũ curat, non quia frigus suum insinuat, sed quia calorem prouocat: nec calidum ut calidum infrigidat, sed quia calidum dissipat.

HECTICAM uerò febrem, quæ iam habitum corporis occupauit, minimè sentit, qui ea laborat. Reliquarũ febriũ nulla est, quæ non à laborante sentiatur, sed aliæ magis, aliæ minus ægrotanti sunt graues.

Intemperatura bifariam molestum sensum exhibet, tum ratione suæ inæqualitatis, tum occasione solutionis cuiusdam continui, quæ quodammodo ipsam sequitur. atq; hectica febris priori ratione doloris est expers: sed si illius calor sit maximus, prout barbari quidam astruunt, posteriori ratione nunquã sensum subterfugient. nam quo intemperies maior est, eo continuum magis distrahit, donec sensus torpescat.

SVNT ex ijs & quę rigorem ingerant, fit enim id quoque symptoma, ueluti alia multa ab inæquali intemperie. Rationem tamen generandi eius, in proposito libro tradere non est, priusquam de naturalibus facultatibus demõstratum fuerit, quot hæ qualesq; sint, tum quid agere quæque sit

nata. Verum in libris de symptomatũ cau sis de omnibus agetur. Sed reuertor ad inæ qualis intemperamenti differentias.

Primariæ rigoris causæ in libro de symptoma tum differentia dictæ sunt: affectus tamen ipse rigoris est frigidus, dum spiritus & sanguis exte riora relinquunt, interiora repetunt: atque hîc difficile est in ipsis extremis inæqualem intempe riem describere. nulla enim noua intẽperies ad- uenit, sed tantum extrema calore, quo prius im- buebantur, destituuntur: alioqui genuina tempe ratura nihil immutaretur. Videtur autem Ga- lenus hæc uoluisse dißimulare: ac certũ est quòd cum eo, quàm nobiscũ, magis pugnat. Nam ipse dolorem qui in inæquali intemperie percipitur, diuersæ partis opposita qualitate fieri autumat. hoc ipse in rigore difficile obtinebit. quippe & hic externa quæ frigẽt, dolẽt, tametsi à nulla alia parte ipsa affici diceres, duntaxat in seipsos con- flictantur, dum indignantur nunc exuperare partes frigidas, in quibus prius partes calidæ. Itaque nihil refert, siue alia aliunde qualitas ac cedit, siue priori aliquid decedit: utrobique enim manifesta pugna oritur, dum prior proportio ac quodammodo lex tollitur.

NAM quemadmodum ex phlegmone febris nascatur, tum quòd febris omnis, ac phlegmone omnis pręter hecticas, ex mor bis sint, quibus inæqualis sit intemperies, dictum

dictum iam eſt. Porrò accendi febrem & citra phlegmonem ex ſolis humoribus putreſcentibus licet. Neque enim ea ſolum quæ inculcata ſunt, & perſpiratu prohibita putreſcũt, uerum celeriter ea maximeq́;. Cæterum putreſcunt & alia multa, quæ putredini ſunt opportuna. Dicetur uerò de horum opportunitate alio loco.

Quatuor ſummatim genera febrium ſunt. Primum illud eſt, quod phlegmonẽ quaſi umbra ſequitur. Secundum, quod ex ſimplici humorum putredine oritur. utrunq; hic numerat.

IAM alio quoque genere inęqualis oriri intemperies in toto corpore poteſt, modò fuliginoſo uapore detento, modò exercitationibus, & pluſculis laboribus calore adaucto, modò ab ira, quum ſanguis immoderatius feruet, modò ex deuſtione externa quauis incaleſcit. Porrò quod etiam in his omnibus febribus non ſecus quàm in phlegmonis ſuprà dictum eſt, tum pro uiribus effectricis cauſæ, tum pro corporis ipſius affectu, alij magis febricitent, alij minus, alij haudquaquam, apertum eſſe arbitror.

Diariam putat. fortè etiã deſcribit tertium genus febris, iuxta opinionem propriam, quam ſynochon uocat, de qua in nono Therapeutices.

AEQVE uerò & quòd intemperies ipſa

psa nõnunquam spirituosam tantum inua dit substantiam, nonnunquam ipsos etiam succos, clarum id quoq; reor.

Hæc est *diaria febris, quæ difficultate caret: mirabile tamen est quod adijcit,* Nonnunquàm *etiam ipsos succos. Nam certum est, quòd & in diaria febre semper sanguis incalescit. quin & ipsa solida nonnihil efferuēt, quoniam generatim febris describitur calor uniuersi corporis. Cur ergo diariā in solis spiritibus esse dicit? Nam quod simpliciter incalfactos uoluit, suspicione non caret: quippe & ipsi adhucdum incalfieri uidētur, sed idē uerißimū, quòd alia à phlegmone, alia à putredine, alia ab ipsis spiritibus initium suum auspicatur, ac talis est diaria, quæ aliquando, per se consistit, aliquando spatio temporis in synochum, nonnunquàm in putridam quoq; transit. & hoc est, quod nunc forsitan uoluit, cum inquit, quòd nonnunquàm etiam ipsos succos præhendit.* Forte *etiam febres putridas hoc nomine simpliciter intellexit.*

SED nec minus illud, quod omnibus huiusmodi febribus, si contraxerint, Hectica superueniet.

Hoc *est quartum febrium genus, quod in ipsis solidis moratur: neque refert an nunc per solida tantum uenas, oßa, & similia intelligamus, an & ipsa interiora uiscera, atq; externā carnem.* R*arò autem hæ à principio præhēdunt, sed alias*

sequuntur

sequuntur: quicquid tamen contendunt neoterici, in ipsis calor minor est, ac ordo remißior, sed pertinacior: quod experientia quoq; arguit: nec mirum, quia tenuior atq; calidior materia, ex qua efferebatur, consumpta est, ac tantum solida ferè relicta sunt.

IAM'QVE sermo noster propemodum ostendit, inæqualem hanc intemperiem, aliquãdo ex calida frigidáue substantia, quæ in particulam aliquam influat, accidere, ueluti in his fiebat quos phlegmone infestat. Sæpe non ita, sed ipsa corporis temperie in qualitate mutata, tum quòd alterantium eam quædam ortum habeant ab ipso corpore, quædã extrinsecus, utiq; quum ex putredine tantum aliqua uel phlegmone excitatur febris ab ipso corpore, quum ab ustione, uel exercitatione extrinsecus. Dicetur autẽ & de his fusius in morborum causis. Tanquam autem ex deustione accenditur febris, alterato uidelicet corporis temperamento: itidem nonnulli sæpe ex frigore refrigerati toto corpore uehementer sunt, aliqui uerò etiam perierũt. Iam quòd hi omnes etiam doleant, ne id quidem latet.

Quemadmodum tam ab externis, quàm internis iniurijs corpus nostrum incalescit, ita & frigescit. intercedit unica aut altera differentia,

quòd corpus noſtrũ ut calidum eſt, ita prõptius à calido offenditur, quàm frigido. Accedit, quòd caliditas ut maiorem energiam obtinet, ita maiorem dolorem affert. frigus enim nonnihil aliquando ſenſum obtundit. In cæteris par utriuſq; ratio eſt.

PORRO dolẽt & qui ex rigore ingenti uehementer perfrigerati celeriter ſeſe excalfacere properarũt: multiq; eorum, cum ſubito ac ſimul manus igni admouerunt, ingẽtem circa unguium radicem ſentiunt dolorem.

Non tamen cauſa huius eſt, quia altera pars alteram afficit: ſed quia inter frigus & calorem unaquæque cõflictatur: atq; hîc ſubinde duplex inæqualis intemperies oritur. Nam & dum tantum frigerent, dolebant. geminatus autem eſt dolor, dum nondum frigefacti incalfiunt. Vides igitur & hic rurſum potius eiuſdem particulæ quàm diuerſarum, uarium tẽperamentum, inæqualem intemperiem ac dolorem efficere.

ET quiſquam, cum tam luculenter uideat intemperiem inæqualem doloris eſſe cauſam, etiam de internis doloribus dubitet, aut miretur quo pacto citra phlegmonem ſubinde, uel laxiore inteſtino, quod colon Græci uocant, uel dentibus, uel alia quauis particula homines doleant?

Eadem eſt internorum atq; externorum dolo

rum

rum ratio: uerũtamen dolor ille magnus in colo atq; dentibus, potius diſtentionem quàm intemperiem ſequitur.

NAM neque talium ullum mirabile eſt, nec quẽadmodum ſimul rigeant & febricitent ægrotantium aliqui. Quippe ſi pituitoſus ſuccus, qui frigidus eſt, quenq; Praxagoras uitreum appellat, & amara bilis, quæ calida eſt, ſimul abundet, ac per ſenſibilia membra moueantur, nihil miri eſt utrunq; à cubante pari modo ſentiri. Neq; enim ſi hominem ſub ſole feruido ſtatuas, & aquam illi frigidã infundas, fieri poteſt ut non ſimul & à ſole calorem, & ab aqua frigus ſentiat. Verum hoc caſu ambo extrinſecus ſunt, nec paruis portionibus incidunt.

Hic manifeſtè contraria in eodem committi apparent. nõ enim rigor ſimplex, ſed intẽſum frigus: neq; febris modicus, ſed excellens aliquis calor eſt. ſiquidem igitur ſimul quis febricitet, & rigeat iuxta minimas etiã particulas, ſimul in eodem contraria depræhenſa uidentur. Nullam enim hic, inquit Galenus, ſenſibilẽ ipſius portiunculam ita paruam deſumas, in qua alterum non ſit compræhenſum: hoc eſt, ubi non utrũq; admittatur. Idem uidetur & de eo, qui ſub ſole efferbuit, & frigida aſpergitur. Sed nunc bis aut ter hanc difficultatem abſoluimus, ubi prius diximus

mus, quòd calidum insinuato utcunq; frigido, nõ statim euadat frigidum: sæpe diu posthac manet calidum: ueruntamen iam illius temperamentũ, ut antè, simplex non est, sed nonnihil immutatum, adeo ut iam illius temperamentum commistum sit ex duobus affectibus, morboso atq; eo quod prius naturale erat. quòd autem contraria omnino in eodem non insunt, non solum ex nomenclatura, quam prius habuit & adhucdum retinet, constat: sed & ipsa experientia: nam si manum admoueas, nũquàm idem corpus calidũ & frigidum inuenies: ueruntamen ipsum corpus utrunq; in hepiala percipit, dum pituita mediocriter putruit. nam primaria ratione corpus infrigidat, ratione uero putredinis incalfacit.

IN febribus, quas hepialas uocant, tum ab interno, tum exiguis portionibus, eoq; uniuersum corpus ambo sentire uidetur. Quum enim tenuissimis portiunculis aspersum per corpus, tum calidum sit, tum frigidum, nullam sensibilem alterius portiunculam ita paruam desumas, in qua non alterum sit comprӕhensum. In ipsa tamen accessionis inuasione aliqui febricitãtium tum rigent, tum uerò febricitant, tum ambo sentiunt frigus immodicum & calorem unà. Verum nõ eodem loco, quippe quum possint quæ excalfactæ sunt partes, manifeste à refrigeratis discernere. Nam intus, & in

& in ipsis uisceribus calorem sentiunt, in externis partibus uniuersis frigus.

Nescio quàm bene Mesues & neoterici has duas febrium species definiuerunt, qui utranq; ex uitrea pituita & intermittente posuerunt. Nam Galenus septimo Aphorismorum, commẽtario 47. inter continuas utranq; collocauit. ac de lypiria magis certum est, quoniam in quarto aphorismorum, cõmentario 48. extra febres continuas impoßibile arbitratur exterioribus algẽtibus interiora uri. Fiunt autem huiusmodi symptomata, dum æstus in interioribus siue per inflammationẽ, siue aliter tantus est, ut reliquum totius corporis sanguinẽ ad se reuocet, cuius exẽplum in exterioribus uidere est, ignem maiorem semper ad se trahere minorem: atque altera ferè pars foci semper magis æstuat. quòd si hac ratione lypiria febris sua symptomata obtineat, periculũ est, ne de ea admodũ male sint ratiocinati. Magis periclitantur dũ hepialã contrario modo cum lypiria definiãt, nẽpe illos dicẽtes audias, in hepiala contrario quàm in lypiria interna frigere, externa calere, quibus cũ non solũ in hoc loco, sed & in omnibus alijs Galenus pugnat, qui in minimis etiã quibusuis corporis portiunculis utranq; intemperiem ponit, atq; in hoc intemperiẽ lypiriæ, ab ea quæ est hepialæ, distinguit. Hactenus tamen consentiunt, quòd hepialam ex uitrea pituita constituunt, & rursus dißentiunt,

cum eam in uenis putrescere posse negant. Cõtrà enim tam frigidus humor est, ut non nisi calido ferè loco putredine affici possit. Iam illud etiam in eius definitione omiserunt, quòd non tantum ex uitrea fiat pituita, sed præterea acida, autore Galeno de febribus libro secundo, capite sexto. Cur autem potius ex ijs speciebus quàm alijs huiusmodi symptomata contraria eueniant, materiæ ipsius qualitas in causa est. frigidior enim uitrea, atq; acida pituita est, quàm ut affatim putrescere possit. ergo sua naturali frigiditate uel ex uenis uniuersum corpus quodammodo infrigidat, sua rursum putredine accendit.

TALES perpetuò febres sunt, & quæ Græcè lypiriæ uocantur: præterea quoddam ardentium febrium perniciosum genus. Quod igitur in his maioribus portionibus accidit, hoc in hepialis cõtingit minutis. Inæqualis nanq; est & harũ febrium intemperies, sed nec minus reliquarum omnium, exceptis tamen hecticis.

Habet Græca lectio, Amplius & lypiriæ semper tales. Videtur Galenus hoc symptoma quærere in tribus febrium generibus. Primum est intermittentium: nam in ijs tempore inuasionis aliquando in intimis ægri dicunt se uri, quos tamẽ foris frigidos senties. hoc præsertim euenit in cholericis, ubi cholera in uentrem fertur, atq; ijs id quidẽ duntaxat contingit in principio. solis acu-

tis

tis poteſt euenire in ſtatu aut augmẽto. Fortè per hoc uerbũ διάπαντος*, Galenus ſignificat quòd lypirijs contingit uniuerſò tempore, utpote mortalibus, in quibus interna aliqua letalis inflammatio fatigat. Idem aliquãdo euenire poteſt & ipſis ſimplicibus ardẽtibus. nã in utroq; acutarũ genere aliquãdo tantus eſt calor in interioribus, ut reuocet ad ſe omnẽ calorem ab exterioribus.*

QVINETIAM ijs qui rigent, nec tamen febricitant, inæquale temperamentum eſt: rarum tamen eſt id ſymptoma. Cæterum incidit tum mulieribus, tum quibuſdam aliquando uiris. Debet autem omnino deſes præceſſiſſe uita, aut certè ciborũ copiam longiore ſpatio homo ſumpſiſſe, ex quibus tardus, frigidus, crudus, & pituitoſus naſcatur ſuccus, qualem ſcilicet Praxagoras uitreum exiſtimat.

Vitrea pituita, dicẽte Galeno, craſſa & glutinoſa eſt, quã ex nomẽclatura uitro fuſo cõparabis. ſubinde autẽ Galenus eã cũ ſedimine in morbis ac quibuſdã ſanis ultra morẽ otioſis cõfert. nã in ſolis mulieribus aut uiris præter modũ ocio ac crapulæ deditis ſuccreſcit. quapropter & hæc ſola præ alijs, ſua frigiditate rigorem facere poteſt: alios uerò humores, nũq̃ rigor ſequitur, niſi quando ex uenis affatim expelluntur: hoc eſt in principio acceſſionis, ubi ſtatim febres ſubſequũtur.

PORRO antiquitus nemo (ut uidetur)

tur) ita est affectus, ut qui nec adeò ociosi, nec in uictus saturitate uiuerent.

Hoc Galenus ex eo credo suspicatur, quòd alibi Hippocrates, si quidẽ recte memini, dixerit: omnẽ rigorẽ febrẽ sequi. ueruntamẽ propter alia quædã hoc ego mallẽ de rigore ex bile intelligere, eoq; magno, nec momẽtaneo. nã antiquis optimè uitrea pituita nota fuit, quæ Galeni sentẽtia ex ocio crescit. certè hepialam omnes nouerunt. ergo continentia uictus in causa eße non potuit. nam quæ hepialã facit, copiosior est, quàm quæ solum rigorem cõmittit, sed uictus frugalitas in causa fortè fuit, ut apud ueteres & hepiala & rigor ex hac pituita rariores q̃ apud nos eßent.

INDE'QVE factum est, ut scripserint antiqui medici, rigori febrem necessario superuenire. Verũtamen tum nos ipsi, tum alij iuniores medicorum non pauci sæpenumero uidimus rigorem, quem nulla sequuta sit febris. Porrò componitur ex hac intemperie, & illa quæ febricitantium est, Hepialus. Appello ita febrem illam, cui ambo semper accidunt.

Rigorẽ magnũ aliquem non autẽ momentaneũ intelligere oportet. nã modica bilis, dum per habitũ fortè fortuna moueretur, rigorẽ leuiorẽ aliquãdo inducet, neq; semper febris sequetur.

AT in qua rigor quidem præcedit, febris sequitur, ueluti in tertianis & quartanis

nis:hanc Hepialum uoco.

Rigorem nunc cõmuniter appellat:alioqui in quartanis horror eſt. Oportet autẽ hæc omnia in legitimis accipere,nam in illegitimis ſæpe hi uariantur:atq; tertiana ſubinde frigus, quotidiana etiam horrorem aliquando parit, quartanæ uero frigus. Cauſæ horum dicentur alibi.

ITA ex duplici inæquali intemperie Hepialus componitur, etiam aliæ febres: præter hecticas fere omnes.

In alijs febribus raro calor & frigus committuntur. Itaq; neſcio cur etiam his duplicem inæqualem intemperiem deſcribit: fortè quia frigus præcedit,ac calor ſequitur. ita dixit, forſitã inæqualitatem alteram ex ſiccitate æſtimauit. non enim febris tantum calida eſt, ſed & ſicca, credo ego quòd de ea inæqualitate loquitur,quæ inter augmentum & principiũ oritur:non enim ſubito frigus ſoluitur, aut calor accenditur, ſed inter utrũq; cõflictatio quædã hoc tẽpore oritur,

SIMILI genere qui particulæ alicuius cum tumore morbi ſunt, hi quoque omnes perinde ac phlegmone cum intempe ramento inæquali conſiſtunt, cancer, eryſi pelas, carbunculus, herpes, tumor, phagedæna, gãgrena: quippe commune ijs omni bus eſt, ut ex fluxione humorum ſint orta. Diſſident in eo, quòd alij ex pituitoſo, alij ex bilioſo, uel melãcholico ſucco, alij

ex ſanguine uel calido, uel tenui, uel bulliente, uel frigido, uel craſſo, uel alio quopiam genere affecto fiant. Declarabitur enim alio loco de horum membratim differentia diligenter. Quod ad propoſitam diſputationem pertinet, hoc tantum dixiſſe abunde eſt, quòd qualiſcunq; eſt fluxio, eadem ratione quenque prædictorum affectuum creat, qua prius ex calida & ſanguinea phlegmonen gigni monſtrauimus. Sed non minus etiam ſimilarium ac ſimplicium primorumq́; in ijs corporum ſingula ſic à fluctione affecta ad inæqualem intemperiem deuenient.

Humor qui decubuit, ſuo more particulam uitiat: eſt autem humor uitiatus ferè ſuapte natura, ut qui qualitate peccat: & ſi fortè quantitate ſola delinquat, plerunque effuſus, integritatem non ſeruat. omitto quòd cum loci temperatura raro aut nunquam conuenit, etiamſi quàm maxime prioris temperaturæ compos maneret. non poteſt enim naturalis pituita, aut bilis, internorum uiſcerum aut externæ carnis, in quam forte incubuit, priorem temperaturam non uitiare, ſed paulatim ſuum nocumentū ad reliqua tranſfert: quæ quidem diuerſa corporis temperamenta efficiunt, ſed ut mihi apparet, ad diuiſionem inæqualis temperaturæ parum conferunt.

CAETERVM extrinſecus pro reumatis

matis ratione calefacta, refrigerata, ſiccata uel humectata, penitus & in profundo nõ dum ſimiliter affecta.

Videtur eſſe noua ſententia: reuera tamen una eſt, & cum alia coniuncta: proinde pro, Cæterum, ego, Quidem, legam. ita enim Græca habẽt, ſed & finis orationis huius in Græca lectione aliter iacet: ut ſit ſenſus, Fere quælibet materia dum incumbit, inæqualem intemperiem parit. Nam exterior pars pro reumatis ratione ſimpliciter eſt incalfacta aut refrigerata. Interior uerò ac diſtantior, nondum. Inde iterum patet, quòd inæqualem intemperiem uocat diuerſam diuerſarum partium intemperiem.

QVO'D ſi tota per tota mutata alterataq́; ſint, fiunt quidẽ ilico à dolore libera, in difficili tamẽ ſic cõſtituta ſunt ſtatu. Hęc prænouiſſe his qui opus de medicamentis ſunt percepturi, & poſt id medendi methodum abunde mihi ſatis uidetur.

Nõ eſt huius cauſa, quia caliditas maior: aut ut neoterici fere aſſerunt, quia intenſior. nam id experientia redarguit: ſed quia ſubiectum ipſius eſt ſolidum: nam ferè eo qualitas pertinacior, quo eius ſubſtantia ſit denſior. omitto quòd ſiccitas, quæ calori coniuncta eſt, maiorem difficultatem pariat. Iam prior febris magna ex parte calorem naturalem digeſſit, pro quo nunc ipſa ſuas reliquias impreſſit. uerum & hæ nunc cõtinue

nue diminuuntur, quemadmodum paulò antè calor naturalis: quo fit, ut in moribundis iam utriusq; qualitas remissa sit. Calor ergo naturalis & febrilis non tantùm differunt ordine, sed & substantiæ (ut sic dicam) conditione. atq; omnino calor febrilis siccus, naturalis humidus, ac suauis. ac tantum de temperamentis ægrorum ac sanorum.


*

HIEREMIAE THRIVERI BRACHELII IN OMNES

*

GALENI DE TEMPERAMENTIS LIBROS EPITOME.

*



Lugduni, apud Godefridum & Marcellum Beringos, fratres,
M. D. XLVII.



HIEREMIAE THRIVERI BRACHELII IN OMNES GALENI DE TEMPERAMENTIS LIBROS EPITOME.

*



VODLIBET *elementum unam ex quatuor qualitatibus, eámque excellenter, hoc est summam, nedum synceram obtinet: quocirca nec pauciora, nec plura quàm quatuor, ipsorũ, atq; huius inferioris mundi cõcordia pati potuit. nec ista (ut fors obtulit) locum quemuis dispersa tenent, sed quantum fieri potuit, contraria inuicem distracta sunt: quæ uero altera qualitate conueniunt, coniuncta existunt. Idem deinceps quaternio singula mista corpora instituit, ac quasi fundamentum sternit: sed obscuratæ sunt ipsorum notæ. tota enim totis conduntur, ac quodam modo fermentantur, si non secundum substantiam, certè secundum qualitatem: iam in inanimatis plerisque minima est superiorum elementorum portio, sed in animantibus manifeste conspiciuntur*

omnium semina, ac quasi quidam genij, neque hic tamen eadem mole, sed in homine exuperat terræ, & aquæ quantitas, aëris uerò atq; ignis qualitas: ex omnibus ergo una temperatura oritur (ab antiquis natura) uulgò complexio dicitur, quæ cunctarum qualitatum indolem quandam retinet: sed ab ea quæ exuperat, appellationem recipit. Ac generatim quidem hominis conditio, calida est & humida, sed diuersa singulorum fortuna. Optima est de qua nemo queri potest, aliæ excedunt calido, aliæ frigido, hæ humido, illæ sicco, quædam ijs infeliciores, utpote calidæ simul & humidæ, calidæ & siccæ, frigidæ rursus ac siccæ, aut etiamdum frigidæ excellenter, & humidæ. Quapropter non tantum duæ, ut quidam dixerunt, sed quatuor sunt temperaturæ compositæ: quibus si quatuor simplices addas, atq; unam temperatam (quæ fere ab omnibus ante Galenum omissa est) nouem in uniuersum temperies inuenies. Caue tamen singulas in singulis rerum speciebus inquirere. non enim ubique inuenies. exempli causa, quatuor fortassis distingues anni tempora, sed errabis: siquidem ut æstatem siccam & calidam, hyemē frigidam & humidam dixeris, ita autumnū posueris frigidum & siccū, uer uero calidum & humidū. Autūnus enim sua natura inæqualis siccus quidem, sed nunc frigidus, nūc calidus, nō tantū in diuersis mēsibus, sed sæpe in ijsdem hebdomadibus,

bus,

bus, interim iisdem diebus, adeo ut aliquãdo meridies ultra proportionem caleat, uesper frigeat: quinimo & econtrario saepe accidit, ut uesper aut mane caleat, meridies frigeat, tanta est ipsarum nubium inaequalitas. Non minus errauerunt ueteres in definitione ueris. Temperatum enim est, non calidum aut humidum. Nescio tamen an hic error à Galeno paulò acerbius redargutus sit. Nam forsitan & illi habuerũt temperatum, sed ob eam causam dixerunt calidum & humidum, quòd simpliciter huc magis spectaret. quippe & in homine tẽperato calidũ quoq; superat frigidum, ac humidum siccum. certè uer pro sua natura legitimũ nullam in corpore tẽperato qualitatem demutat: quocirca & in ipso uere has qualitates, modice ultra sibi oppositas, efferri necessum est: nec id oportet adeo detrectare, quando & ipsi Galeno non semel in Aphorismis excidit, uer calidum dicere: id quoque experientia indicat: nõ enim temere terra germinat, aut humores in corpore fusi foras regurgitant. Minus tolerari possunt, qui pueritiam temperatam autumãt. Nam simpliciter humida est, idq; excellenter: in parte tamen uerum dixerũt: nam hactenus saltem calido temperata est. Sed nullo modo ferendi sunt, qui quoduis, etiam immodicè calidum & humidum, contendunt temperatum: quippe inter tempora nullum est magis putredini ac grauibus morbis obnoxiũ, saepe etiam

pestiferum. Idem & de corporibus arbitror. nã præ illis potius frigidum & siccum commendauerim. Fateor calidum & humidum quouis ferè alio intemperato ex natura est uiuacius. sed ex accidentibus morbis plerisq; multo opportunius. Nec refert quòd uita definiatur calido & humido: multarum enim & aliarum rerum excessus molestus est, quarum mediocritas grata existit. Frustra ergo patrocinium, aut Aristotelis aut Theophrasti inuocant. Nam cum ij uitam in calido & humido collocant, ad demortuum conferunt. at ij simpliciter audiunt, planè immemores quòd calidum, frigidum, humidum, siccum, non solum dicantur de ijs, quæ syncere tales qualitates obtinent, aut etiam dominantes, sed & de ijs quæ cum alijs comparantur. Atque in ijs quidem comparationibus immodicè Galenus prolixus est. Nos autem in sex differentias digerimus. Nam uiuens subinde confertur cum demortuo, aliquando etiam cum tota substantia, interim cũ suo genere, aut specie, idq; sua aut aliena, nõnunquã indiuiduum cõparatur indiuiduo, idq; iterum uel eiusdẽ speciei uel diuersæ. ac sunt quædã orationes, quæ ex usu quodam certã comparationẽ sibi definiũt. uerbi causa, cum substantiam aliquam temperatam aut intemperatam calidam aut frigidam dicimus, certum est quòd ad medium, quod in toto genere substantiæ existit, hoc est, cutem conferimus. at ubi animal

mal uel plantam talem definimus, ad genus animantis, aut ſtirpis expendimus: ſic & cum os ſiccum appellamus, ad uniuerſam naturam referimus: ubi uerò os leonis ſiccum dicimus, ad medium aliquod os in animantibus determinamus: pleræque tamen loquutiones diuerſam comparationem ſuſtinent, & ſophiſtæ nunc ad hanc, nunc ad illam diſtrahunt: quare hãc oportet diſtinguere, priuſquam certum quid ſophiſtæ licet reſpondere. non enim ipſi quenquam ſtudent erudire, ſed ambagibus comparationum ac nominum confundere, ac ſeſe ipſos oſtẽtare. Iiſdem ferè modis temperatum dicitur, ſed duæ inſigniores illic differentiæ ſunt, altera eſt iuxta quam temperatum ſimpliciter dicitur, quod ad totam ſubſtantiam expenditur, in quo elementa pari mole, ſaltem pari qualitate commixta ſunt: ac talis eſt cutis hominis, non ubiuis, ſed in manu, non cuiuſuis, ſed natura temperatiſsimi, quiq; nullo labore ipſam obdurauit, nulla mollitie emolliyt. Fateor ſenſus craſsus eſt, nec facile paruas differentias percipit. proinde Galeno optimum uidebatur, ipſum ab extremis ad medium ſubinde transferre. tandem enim illorum comparatione medium exquiſitè cognoſcere diſcet. uerbi gratia, ſi quis ſubinde aquam calidiſsimam, ac iterum frigidiſsimam uiciſsim tentet, tãdem quidnam inter hæc medium, facile diſtinguet: quinimo ſi quis æquis portionibus aquam

calidam ac frigidam miſcuerit, quod ex iȷs eſt conditum non multum à medio aberit : eodem modo ſi quis (inquit) terram (ita enim malo dicere quàm cinerem) aquæ pari modo confuderit ruditer, quod medium eſt humidi ſicciq; inueniet. Sed rara hæc eſt mediocritas, paucis etiam aut nullis accommoda, frequentius temperatura appellatur, pro uniuſcuiuſq; officio & ſtudio : quippe prout cuiuſq; ſpeciei ſunt opera aut munera, talis debet eſſe temperatura. exempli cauſa, piſcium natura eſt natare, quadrupedum terra ingredi, uolatilium uolare : rectè ergo natura in ipſis uariauit temperaturam ac inſtrumenta, nihil enim profuiſſent inſtrumenta diuerſa, ſi quidem fuiſſet eadem temperatura. Sic & equi & canis tantum debebant uariare temperaturæ, quantum naturæ. atque equi quidem eſt uelociſſime currere, ad labores idoneum eſſe: canis uero erga domeſticos fidelem, erga alienos animoſum eſſe. uidete ergo an ambobus eadem temperatura conueniebat, an non potius utrique peculiariter ſua. Ita & homo, quia inter cætera animantia debebat eſſe prudentiſſimus, ita præ omnibus aliȷs ſimpliciter decuit ipſum, eſſe temperatiſſimum. Nam prudentiæ cauſa ipſa temperies eſt. Nec tamen omnes in eo ſimiliter partes affectas reperies : ſed temperatiſſima in manu cutis: ad quā ſi reliquas omnes partes conferas, mirabilem uarietatem inuenies, alias

lias

lias humidas scilicet, alias siccas, atque has quidem tactus æstimare potest: eandem enim duritiem, ac mollitiem præbent particulæ in uiuis ac demortuis: non tamen calorem eundem exhibent demortuæ, ac uiuæ: in uiuis particulæ externæ sæpe communicant cum qualitatibus partium internarum: nec calor, quem cutis expirat, semper proprius est: interim funditur atque oritur à uisceribus internis. ergo ad discretionem calidorum & frigidorum methodo opus est. est autem una, quòd unaquæq; particula tantum habet caliditatis, quantum accedit ad formam sanguinis.

GENERALIS, ut prius diximus, conditio hominis calida est, & humida, etiam eius qui frigidus & siccus dicitur: sed qui modicè talis existit, est absolutissimus atq; fortunatissimus: ac multæ in hoc homine occurrant notæ oportet: primo habitū (is enim se statim oculis offert) in crassitudine, hoc est carnositate, si quidē ita liceat dicere, gracilitate, macilentia, obesitate, mediocrē esse oportet: sed neque ulla qualitas immodicè sese efferet: sed hactenus quoque tactus quandam æqualitatem inueniet, nec in colore, pilorum circumscriptione (nisi accidens intercesserit) ulla erit deformitas, sed quasi concentu quodam hic uisitur omnium rerum pulchritudo, & mediocritas: atque hæc sunt quæ oculis, tactu, ac uisu discernere licet. Interiorum

uiſcerum naturam altius oportet eruere, ac cor quidem, cuius nõ minima uis in corpus defluit, ferè ex animo atque eius facultatibus moralibus perſpicitur: adeo ut qui abſolutè temperatus eſt, in ijs quoque omnibus iucundiſsimè ſeſe habet: neque enim audax, neque timidus eſt, ſed fortis, nec lentus, nec præceps, ſed maturus, uno uerbo, in rebus gerendis prudens, nec ſeuerus, nec ridiculus, ſed alacer, neque ſui deſes contemptor, aut bonorũ inuidus, ſed in rectis æmulus, neq; erga inimicos crudelis, aut amicis plus ſatis indulgens, ſed ubique humanus. Non minus temperati uirtus relucet in cerebro. Nam omnibus operationibus animalibus eſt integerrimis, ſenſibus perſpicuis, motu ualido, intellectu quod maius eſt eximio. nouiſsimè, concoctione, & reliquis operationibus naturalibus, quæ in uentre ac hepate fiunt: abſque ſuſpicione, hæc ſunt quæ temperatum hominem definiunt, nec talem exhibet quæuis ætas, ſed magis iuuentus, ac ſi exquiſitè loquamur, extrema adoleſcentia: reliquæ omnes ætates plus minus intemperatæ ſunt. Vſq; ad extremam adoleſcentiam omnes intemperanter humidæ, reliquæ omnes poſteriores ſiccæ, ſenectus utraq; etiam frigida, ſed excrementis altera pituitoſa, altera uero melancholica. Contentio eſt de iuuentute ac pueritia, facta eſt tandem concordia. Nam hactenus omnes ætates definitæ ſunt calidæ eodem ordine (exceptis frigi-

dis

dis & humidis immodicè) sed tactu diuersæ. promptum huius rei exemplum est, poßunt aqua & lapis, imo ut proximius accedamus, aër craßus, fuliginosus, ac suauis & purus similiter eße calida, nunquam tamen qualitatis illorum similis erit phantasia, scilicet calor qui in solido aut craßo sedē obtinet, multo erit acrior eo qui in humido habitat. Rationes uero quæ utrinque afferuntur sunt ambiguæ, quædam ex ijs in iuuentute, quædam in pueritia potiores operationes eße arguunt, omnes autem in adolescentia constant bene. Iam quòd in iuuentute sanguis sit biliosior, pensatur eò, quòd in pueritia calor sit copiosior. Quod de ætate diximus, idem de regione oportet dicere: tantum enim uel in temperata regione temperatum inuenies, alibi uix, inquit Galenus, illius umbram. atque id forsan paulò durius dictum est, tamen non nisi procul in intemperatis regionibus ad temperiem acceditur, ad quam tanquam regulam & canonem reliqua æstimare oportet. est enim una omnium methodus, quæ ut illustrior fiat, singulorum quæ prius diximus, speciales nunc causas reddemus, & ab ipso habitu auspicati tandem ad interiorum uiscerum agnitionem ueniemus: ex ijs enim duobus ferè tota hominis temperatura proditur. Habitus autem ipse præcipue, ex gracilitate, macilentia, craßitudine, & obesitate cognoscitur, quorum omnium (licet

minimæ

minima appareant) discrimina ex differentiis qualitatum oriuntur, quippe gracilitas siccitatem, crassitudo humiditatem, pinguedo frigiditatem, macilentia caliditatem sequitur, quadratura, hoc est, ipsa mediocritas mediocritatẽ qualitatum imitatur, nec id tantũ de genuinis qualitatibus dicimus, sed idẽ est de ascititiis, cõsuetudine tamen factis familiaribus. Distinguit ex Hippocrate Galenus. *nam qui ex natura calidi, aut macilenti, iis uenæ amplæ: angustæ uerò iis qui tales ex accidente. non enim accedente postea calore uenæ inflantur, sed proportionem retinent, quam à principio acceperunt.* Non est *tam promptum, gracilitatem ac carnositatem natiuam, à genuina distinguere, ne tentauit quidem* Galenus, *neque ego scio si possemus ex corporis fabrica discriminare.* Nam *quibus à natura siccitas inest, contractiora corpora uidentur, liberaliora quibus humiditas, modo suam proportionem seruet caliditas.* Certè *non poteris id ex pilis distinguere. Nã siue à natura, siue ex consuetudine nuper contracta temperatura fuerit, pilorum circumscriptio ferè eadem. & de hac nunc quoque aliquid dicendum est: plus enim pili, quàm quiduis aliud habitum uariãt. non enim in una tantum nascuntur parte, sed in uniuerso corpore, ídque admodum diuerse.* Nam *quidam statim oriuntur à principio, quidam sequuntur longo tempore postea, nec in qua*

uis

uis temperatura, sed tantùm calida, certè sicca. Proinde rectè Galenus graminibus quæ sine ordine errant, hos comparat, illos uero segetibus, quæ limite discernuntur, omnes tamen ex fuliginoso (reliquæ enim excrementorum species inidoneæ sunt) excremento oriuntur: hoc ut copiosius est, ita pili quoq; magis robusti & copiosi: qua de causa cætera ferè animantia hominibus magis hirta uidentur: crassum enim eorum nutrimentum, & ad fuliginem plurimum idoneum. Multum etiam & cutis cõfert opportunitas, hoc est, mediocris siccitas. Nam in humida simpliciter cute non proueniunt, in sicca insigniter etiam qui prius nata sunt pereunt: argumento est caluicies: in homine tamen quo cutis est siccior, eo pilus præcocior, atque confertior est, ob eam causam, coma hominibus forsitan & iuba equis promissior est: certè iam pueris nobis, caput & supercilia pilis obseruntur, nec id tantum in una temperatura, sed in qualibet. omnibus enim eæ partes satis sunt siccæ. Hinc est quòd Galenus hos pilos naturæ beneficio acceptos refert: nullum enim peculiare temperamentum requirunt, sed generali contenti sunt. in facie ac reliquo corpore non omnibus innascuntur, temperaturarum discrimen imitantur. Idem de colore ac figura reliquorum pilorum dico. Non enim omnibus coma aut cæsaries eadem est, sed pro diuersitate temperamenti diuersa, ac nigra ca-

liditatem

liditatem temperaturæ ac uaporum sequitur: alba, rufa frigiditatem: flaua modum ipsum: ita & simplex frigiditatis ferè, crispa caliditatis est æmula: aliquando tamen exhalationis imbecillitatem sequitur, atque hæc ferè flaua aut rufa est: hinc est quòd in mulieribus laudetur simplex, aut certè crispa, sed flaua, nō autem nigra: magis enim idoneam mulieri complexionem arguit. Craßi fiunt ob nutrimenti copiam, tenues ob eiusdem inopiam: aliquando fuliginis subtilitatem: hæc omnia & temperaturæ & ætates arguunt: biliosa enim natura ac ætas nigros, crispos: pituitosa simplices, ac rufos edit: atque iterum hæc raros, & parum firmos, illa uerò egregiè robustos, & densos: non tamen similiter calidæ regiones, auctiles, aut craßos, aut densos faciunt. Nam magnus regionis æstus, plerunque alimentum pilorum digerit disijcitq;. Tantum super temperatura significat pilorum natura. Nonnihil indicat etiam super eadem, ipsorum paßio. Nam humidius corpus canitiem, siccius caluitiem præcocius patitur, non, ut quidam cogitant, propter alimenti inopiam, sed potius subiecti raritatem. Hoc & particularum indicat diuersitas, caluicies citius sinciput denudat, canicies uerò celerius infamat tempora, ac in quibusdam citius ipsam faciem: ob similem causam, & barba subinde rufa est, coma insigniter nigra. Non tamen hic licet (ut qui-

dam

dam faciunt) ex descriptione unius partis, forte capitis, totum hominem æstimare. nam tantum super sua parte significat. igitur unamquanque particulam per se, & ad suum principium decet æstimare, nisi prius æqualitate quadam totũ corpus dotatum esse cognoueris, atqui id rarum est. Ruditer tamẽ cõiectari licet, ex uniuersi corporis latitudine, lõgitudine, & altitudine. Nã ubi singulæ partes suam proportionẽ retinẽt, magnũ æquabilitatis totius corporis argumẽtũ est. Id ubi fit, talis erit uniuersi corporis: quippe calidi facies, qualem Galenus descripsit, scilicet hic, ut coma nigra, crispa, ita totum pectus immodicè hirtum est, uenter ferè totus, hispida brachia, hispida crura, thorax latus, uasa ampla, cutis nigra, dura. Quòd si contrà totum corpus æqualiter frigidum fuerit, omnibus quas diximus mensuris contractum erit, nec tantum collum, aut pectus erit nudum, sed uniuersum corpus glabrum, caput uix tenuiter comatum, certè parum coloratum, coma quoque potius rufa, aut flaua, quàm nigra. Sed rara est hæc corporum fortuna, ubi respondent exquisitè omnia, sæpe externa internis dißimilia. In piscibus enim testatis, crustaceis, squamosis, externa sicca, interna humida: sæpe idem & in ipsis hominibus euenit, præsertim qui regionem intemperatam inhabitant. Nam in frigidis regionibus plerunq; externa corporis phanta-

sia

ſia albet inſigniter ac friget. Atqui interim ſæpe multis Aethiopibus iidē homines reuera magis biliosi ſunt: ſaltem non eſt æqua partium interiorum atque exteriorum frigiditatis ratio. Nam quantum caloris ad profundum recedit, tantum ferè exterioribus decedit. ſic in regione calida æſtus ambiens, quantum adducit ſpiritus & ſanguinis exterioribus, tantum adimit ipſe interioribus. Fateor, nec negare poſſum, quin & interiora calidus ſpiritus incalfaciat, frigidus refrigeret. nam eadem ratione & in regione calida, quàm frigida plura biliosa corpora inuenies: & (ne procul à nobis diſcedamus) plura æſtate, quàm hyeme: non eſt tamen interiorum atque exteriorum eadem refrigeratio: aër enim priuſquam ad interiora peruenit, nonnihil retunditur, exteriora uerò ruditer inuadit. Iam ut dixi, in frigida regione partes externæ inſigniter ab aëre externo refrigerantur, nec ullo alio accidente illorum frigiditas diminuitur, interiorum uerò à caloris regurgitatione nonnihil caſtigatur. Hinc eſt quòd qui Aſiam habitant, magis quidem ſunt audaces, ſed qui Europā, ac Septentrionē præſertim, magis animoſi. Sæpe ergo diſſidēt exteriores nonnihil ab interioribus. Nam quod magis miraberis, & interna ipſa ſubinde à ſemuicem diſtant: neque id ſenſu licet diiudicare, ſed ſingulorum operationes oportet cōſulere. Habet enim unumquodque uiſcus ſuas proprias, ac familiares

miliares

miliares operationes, iuxta modum temperiei differentes. Verbi causa, in cerebro somni principium, atque ab eo singula opera animalia proficiscũtur, sed admodum diuerse. Siccum omnes sensus, omnes operationes primarias habet luculentas, conspicuas: humidum magis obscuras: frigidum etiam torpidas: & iterum humidũ multi somni, siccum pauci, calidum etiam interrupti. Si uelis descendere ad cor, ubi morales uirtutes pleræq; habitant, quales temperatum edit, diximus: intemperatum uero si quidem calidum fuerit, audacem primo congreßu hominem præstat, temerarium, præcipitem, mobilem, iracundum: frigidus uerò in omnibus ijs sese exhibebit contrarium: accedit quòd cor frigidum pulsum edit lentum, paruum calidum, uelocem & magnum. De uentre ipse Galenus dixit, quòd temperatus bene coquit, intẽperatus malè. Poßumus hic adijcere, quòd temperatus erga omnes bene afficitur, calidus calidis, frigidus frigidis capitur, ita & in alijs atque hæc signa ab appetitu sunt simpliciora. Nam de concoctione loqui non potes, nisi discrimine ciborum adhibito: nõ enim uenter frigidus erga omnes cibos æquè impotens est, sed præsertim frigidos: calidus etiã nõ omnes uitiat, sed præcipuè calidos, acres, ac faciles: id propter pisces saxatiles dico, qui frigidi quidem sunt, nihilo secius, dicente in proposito Galeno, promptè in calido uentre corrumpuntur. Peculiare

liare etiam ac proprium temperaturæ uentris signum ructus est, qui inter coquendum editur. Nam si insipidus fuerit, acidus, aut nidorem cibi referens (tales autem edit plerũque frigidus uenter à cibo frigido) frigidus arguitur: si uerò putridus ac fumosus, calidus. Sic ex operibus singulorum uiscerum singula intemperamenta possis depræhendere. Galeno unum aut alterũ exemplum satisfecit. Ita tertio & ab excrementis potes naturam aut temperaturam ipsorum uiscerum distinguere, scilicet qui frequenter bilem eijcit biliosus, qui pituitam pituitosus, nisi per accidens aliter euenerit. Nam & hoc quoq; distinguere oportet: frequenter enim uel post omnem cibum, atque alium quemuis uomitum, tandem bilis sequitur, quæ laceßente uomitu ex felle trahitur. Imò quibusdam uel à principio, idq; quotidie nullo modo natura aliunde prouocata bilis euomitur, quibus uenter insigniter frigidus est, sed male fortunatus, utpote ad quem meatus bilis peruenit, qui ad primum intestinum uenire debuit. Distinguitur autem cholera, quæ in uentre gignitur, ab ea quæ ex hepate illuc deriuatur: quia hæc flaua est, illa uiridis: non etiam quẽuis uictum hæc sequitur, duntaxat calidũ, acrẽ, aut facilem, denique in his nihilominus bilis per aluum descendit, illis uerò quæ per uentrem præcipitari debuit, sursum ascẽdit. Itidem & alibi oportet distinguere, nunquid excremẽtum quod

reijcitur

reijcitur, in ea parte ſit genitum, an aliunde defluxum: ſed non ubique æquè clara diſcrimina inuenies: pauca enim ſunt, quæ pituitam in uentre natam diſtinguunt, ab ea quæ deorſum in ipſum deſcendit: non eſt enim pituita diuerſa, ſed ferè eadem: opportunitas cibi aliqua ex parte determinat: nam pituita in uentre non quidem ex quouis, ſed frigidiore cibo generatur. Si uerò ex capite deſcenderit, uictum ferè contemnit, atque cum omni cibo in uentre confli ctatur. Non eſt minus laborroſum diſtinguere, qui dolores capitis per ſe, aut per cõſenſum uẽtris eueniunt: ſubinde enim primum in capite percipitur, tametſi ex uentre ceperit. Ad differentiam ergo ciborum hic iterum oportet confugere. Nam dolores capitis qui uentris temperaturam ſequuntur, ferè cibum imitantur: qui uerò ex capite oriuntur, etiã immutato uictu parum leuantur. Iam diſtincta temperies ipſorum gemina, aut ex conſuetudine contracta, nonnihil nos iuuabit. uerbi cauſa, ſint dolores frigidi (ita enim nunc illos appello qui ex occaſiõe, aut materia frigida eueniũt) ſi quidem talem caput obtinuerit temperiem, potius caput quàm uenter in ſuſpicionem ueniet. Dignoſcetur autem capitis temperamentum frigidum ex ijs quæ prius uirtute diximus, canicie, ſputorum multitudine, diſtillationum promptitudine. nam hæc quoque cerebrum frigidum arguit. Quòd ſi nihil iſtorum capiti familiare fuerit,

rit, poteſt ex recenti occaſione ita eueniſſe, prius tamen uentris temperiẽ ex iis quæ prius percurrimus, diſcernere oportet: nec eſt alia methodus quæ clarius temperaturam interiorum atq; exteriorũ partium diſcernat. Proinde multum aberrant, qui ex forma lineamentisq; fortè unius partis totum hominem, & ut uulgo dicitur, ex unguibus leonem æſtimant. Nam tantũ ſuper propria parte ſignificant, ac neq; id quidẽ perpetuo aut poſſunt, aut faciunt. Nam ſi Ariſtoteli credimus, Homo hominẽ generat, & ſol. ac forma quidẽ diuinum principium ſequitur, temperatura illius formæ eſt dũtaxat inſtrumẽtum: cuius hoc magnum eſt indicium, quòd ſubinde neque patrem, neque matrem fœtus exhibet, imitatur tamen alterum parentem frequenter. non enim forte fortuna uirtus cœleſtis in omnem figuram materiam uertit, ſed magis idoneam ac paratã. hinc eſt quòd aliis ſpecie animãtibus alia etiam organa accommodat, non quidem quia ita melius putat (non enim intelligit) ſed quia ad hæc ipſa materia ſuapte ſponte, aut ingenio eſt magis opportuna: ſic & partes ipſorũ indiuiduorũ pro diuerſitate tẽperaturæ uariat, ac quibuſdã ſimum, quibuſdam aquilinum aut aduncum naſum fingit, non quidẽ quia ita decreuit, ſed quia ſicca materia adũco, humida ſimo magis eſt idonea: fieri tamen poteſt, ut nõ ex ſicca quidem, ſed multa ſimũ efficiat: ex humida rurſum, ſed pau-

ca

ca, aquilinum. Non est ergo perpetuũ illud quòd natura corporis particulas secundum animi mores effigiat: aliquando enim excidit. Iam dubiũ est, an oculi magni humidos an calidos, parui frigidos an siccos denuntiẽt. Sic & de cæruleis oculis quidam dubitant, an potius humoris, an caloris copiam arguãt. Duabus ergo de causis potius ex aliĳs quàm ĳs modũ temperaturæ capiemus. Manifesta enim sunt, tum capitis, tum aliorum ex circũscriptione pilorum indicia. Denique uel illud hic oportet cauere, ne signum quod uni ætati debetur, ad omnes uel plures incautè referas. Tales fuerunt ex ueteribus, qui pilosum quacunque ætate melancholicum definiunt, cum contrà illius iuuentus egregiè sit cholerica, ac non nisi declinans melancholica. Nam hîc primum ipsa cholera eximiè aduritur, cuius mihi quidẽ causa uidetur, choleræ quæ in declinãte ætate excrescit, craßitudo. non enim quæuis cholera continẽter in atram uritur, sed spißior duntaxat. sola ergo declinans ætas, dicitur melancholica: quippe temperatura melancholica ĳs duobus continetur; excremento melancholico, & corporis habitu sicco & frigido: atqui is sæpe ignauior est, quàm ut bilem gignere, aut genitam poßit adurere: talis extrema senectus est: proinde neq; hæc melãcholia dicitur, neq; reuera est, sed pituitosa: cõfractus enim calor naturalis est, nec cibum in succum perfectum, sed duntaxat lentum ac dilu

tum potest conuertere. Senes ergo particulis quidem extremè frigidi sunt & sicci, excrementis uerò egregiè pituitosi.

NON *putat Galenus medicamenta potestate talia, fortè calida, quæ possunt incalfacere, sed quæ talia possunt euadere. uerbi causa, scammoneum iuxta eum est potestate calidum, non quia calefaciendi potentiam habet innatam, sed quia prompte talem qualitatem euidētcr recipit. Nā ut ipse arbitratur, in eo qualitas ignea latet, quæ minimo accepto initio emicat atque exultat. Hoc quidem Galenus nititur ostendere, sed tam multa ipse hic impedimēta inuenit, ut se uix possit argumentis cōtrarijs eruere. hinc est quòd in uarias formas se uertat, nec unum modū seruet. Primum calida dicit, quæ promptè uertuntur in flammam, aut prunas. uerum neque hæc partitio illi sufficit. Nam uinum calidum est, in neutrum tamen promptè abit: propterea tertio sanguinem respicit, atque ut suum dogma asserat, calido satis esse putat, ut in sanguinem transeat (est enim is quoq; natura calidus) uerum neque hoc nomine rectè calida compræhendit, multa enim medicamenta calida sunt, quæ nihilo prō-ptius uertūtur in flammam, prunam, sanguinē, quàm frigida. nam ut reliqua omittamus, alibi diximus, lactuca ac quædam huic similia, promptius in sanguinem quàm sinapi abeūt. uidetur ergo aliam excogitasse differentiam eorum, quæ*

nihil

nihil istorum patiuntur, sed tandem in corpore corrumpuntur. uerum quid hic patiuntur, dum corrumpuntur, ipse quidem non dixit, neque ego coniectari possum. Nam eadem medicamenta foris apposita nihilo segnius quàm deuorata incalfaciunt, & tamen palam nihil patiuntur, sed integra manent. Videtur hoc argumentũ uelle tollere, dum rationem reddit, cur potius sinapi applicatum quàm deuoratum corpus ulcerat. uerũ eodem exemplo redarguitur, in eo quòd medicamentorum elaborationem necessariam putat, priusquam corpus nostrum alterent. Nam ut cõstant foris apposita, solida manẽt, & tamen insigniter corpus afficiunt: forte tandem ubi corpus egregiè incalfecerunt, & ipsa fotu corporis quoque inflammãtur. Sed quod hic actus non sit genuinus, ac iuxta illorum potentiam, certum est ex eo quod statim deferuet. perit enim ipso dicẽte statim affectus acquisitus: manet is qui naturalis est, donec planè eius uis expirarit. ac id propter calcem dico (nihil enim dissimulare uolo) quæ accensa tandem extinguitur, sed non amplius accenditur: at medicamina hæc calida sæpe extingui, & iterum accendi possunt. Si quidem ergo mihi Galeni pace dicere liceat, quæ pure medicamenta sunt, nequaquam calida dicũtur, quia in calidum elementum facile uertũtur, sed quia incalfacere possunt, tametsi ipsa nũquam essent calida: sic sol & sidera infrigidant, incalfaciũt,

nequaquam tamen ipsa unquam talia existunt. Idem de medicamentis puto, ac dico audacius, quòd medicamēta nequaquam suam uirtutem ab elementorum miscella recipiunt, sed astrorū influxu. Ex eorundē discrimine fieri potest, quòd quædam in substantiam corporis nostri abeūt, quædam nunquàm elaborari possunt: quòd uera trum coturnicē nutriat, hominem perdat: quòd mel hominē incalfaciat, apē nihil alteret: quòd piper palatum potius, quàm aliam particulam urat: & rursum quòd quædam in calidiorem, quædam in frigidiorem sanguinem abeant. Prōptè enim unusquisque cibus in id uertitur, ad quod natura cœlesti uel elemētari est propitius: atque ijs quidē ut tam medicamenta sint, quàm nutrimenta, accidit. Nam quatenus in sanguinē uertuntur, nutrimenti: quatenus uerò corpus calidius aut frigidius demutāt, medicaminis rationem optimo iure sibi uendicant. Galenus non nisi in uentre (dum hæc erudiuntur) medicamēta recipit: atque hic periclitatur, ne morbos in secretioribus particulis omnes immedicabiles faciat. Iam quod est magis mirabile, dicit sanguinē ex eruca, nasturcio, lactuca similem esse, atque sanguinis quidem copiam augere, qualitatem uerò illius similem relinquere, neq; intendere, neque remittere. Miror profectò hæc ab ijs, qui toties ea legerunt, dissimulari potuisse. Proficiscuntur autem hæc ex suscepta Galeni hæresi omnia, qui negat

negat medicamẽta sub tepore poſse infrigidare, ſed talem manifeſtam qualitatem ſuſcipere, priuſquam hucuſque corpus noſtrum poſsint alterare. atque id falſum eſt. quod ſi quam maximè uerum eſset, nondum quicquam prohiberet ſanguinem, qui ex nutrimento recens gignitur, aut calidi, aut frigidi medicaminis uicem habere. nã & frigidior ſanguis calidiori refrigerare potẽs eſt, & calidior incalfacere. Hæc eadẽ credo fuit occaſio, cur aliter hic de uenenis frigidis, aliter in tertio de ſimplicibus ſentiat. In eo enim libro diſserit uenenum frigidum duntaxat quantitate mortiferum, nec hoc ibidem obiter, ſed exemplo anus Athenienſis, quæ cicuta nutrita eſt paulatim, ex profeſso oſtendit: nunc hic totum illorũ genus deleterium ait. Manifeſta eſt cõtradictio, niſi aliud ſit totum genus, quàm toto genere deleterium eſse: atque id non eſt ueriſimile: nam ſemel atque iterum frigida medicamina, tota ſubſtantia, quod idem eſt, ac ſi dicas, toto genere contraria ac deleteria deſcribit: reuera tamẽ quædam ex ijs paulo promptius quàm calida in ſubſtantiam noſtram longo ſtudio tranſire poſsent: ſed nunc id diſsimulauit, ne uenenum ſemel incalfactum concederet infrigidare. Puto quòd hæc, nec alia fuerit eius religio, qui negauit potẽtiam aliquid poſse, cui non reſpõderet manifeſta energia. Atque agè, contendat ita rem ſe habere in calidis, nunquã idipſum poterit ſeruare in frigidis.

gidis. nam certo certius constat, quòd medicamina calida in modum aquæ tepidæ poßunt infrigidare. nec antea in corpore medicamentum euadet frigidũ, quàm à corpore fuerit infrigidatũ: ergo quòd corpus ab ipso medicamine prius infrigidetur, est neceßarium. Eat nunc, & in medicamento manifestam qualitatẽ expectet, priusquam potentiæ opus speret. Multo magis ridicule eandem qualitatem sperabit in eo medicamine, quod siccandi habet potentiam. certum enim est, quòd multa medicamenta actu humida exiccent: quod enim de uino diceret, ac rursum si forte uinum incalfaciat, & humectet, nunquid ob id exceßum igneæ substantiæ, sed latentis in eo inueniet? certum est, quod in eo abũdet, uincatq; multis partibus elementum humidum. Nihil igitur supereße uidetur, quod illius sectæ patrocinari poßit, aut nostræ refragari: ac nihilo tutius medicamentum calidum definierit, quod prompte in flammã uertitur, aut prunã, quam quod rubicundũ est, quod tenuiũ partiũ est, quod leue est: sed ex ipsis operibus cõiectari oportet, neque ijs omnibus, sed quæ relinquit in affectu simplici, hoc est immateriali ac summo. Verũ rarum est medicamentum, quod morbum in summo calidum refrigeret, aut frigidum incalfaciat. subinde enim talia sunt, sed infirmiora quàm quæ magnum affectum poßent tollere. Nequaquam ergo licebit hic subsistere, sed paulatim usque ad

primum

primum gradum descendere. ita enim non tantum qualitatem medicamenti inuenies, sed & ordinem certum deprȩhēdes. Nam medicamentum quod affectu frigidum in quarto ordine relinquit, sed alueū in tertio expugnat, proculdubio in tertio calidum existit. Idem de medicamento dico, cui morbus in tertio resistit, sed in secundo succumbit. Iam obseruandum est an talis effectus continenter naturam rei sequitur, an intercessionē alicuius accidentis: sic medicamina calida incercedente humorum calidorum resolutione partem uidētur refrigerare, & aqua frigida intercedente repercussione incalfacere, ob prius accidens medicamentum in simplici, non autem materiali affectu experiri oportet, ob posterius potius tepidum quàm frigidum aut calidum medicamentum tētare debemus. Licet & hoc aliter distinguere. Nam qualitas, quȩ primo insinuatur medicamento, genuina est: quȩ uero postea sequitur, magna ex parte externa est. iam naturalem qualitatem ubique prodit, accidentalem uerò non nisi in quibusdam. exempli causa, aqua frigida, non ubique calorem prouocat, (est enim ubi extinguit) sed duntaxat in ijs qui natura calidiore sunt. Id quomodo fiat, Galenus imperfecte tradidit, nec quenquam perfecisse inuenio. sed mihi ita accidere apparet, dum spiritus & sanguis ad interiora per frigiditatem repellitur, in ijs qui calido & copioso sanguine cō-

stant

ſtant, ægre ab internis admittitur, ſed ſtatim de cedente cauſa quæ repulit, ultro regurgitat, ac repercutitur: ferè autem partem ſanguinis ſecũ rapit. Nam uulgo dicitur, quòd fluxus fluxũ prouocat. Non paruum etiam caloris auctariũ præbet, quòd ea quæ repercutiunt, difflationem prohibent, ita enim calor intus æſtuat, & more hypocauſti incenditur.


MORBVS *elementaris quadruplex eſt, calidus, frigidus, humidus, ſiccus: atque is aliquando uniuerſo corpore ſpargitur, ſæpius parte aliqua circunſcribitur: non eſt tamẽ una omnium particularũ eius partis alteratio, ſed pro diuerſitate partium ipſa uariat. aliter enim afficiuntur partes proximæ, aliter diſsitæ, aliter mediæ, & rurſum aliter calidæ, aliter frigidæ, tenues, ac craſsæ, aut ſolidæ, ſæpe prima in qua morbus occepit penitus eſt immutata, priuſquàm ſecunda mutari incipit. Hactenus Galenus dolorẽ agnoſcit. Nam ubi omnes permutatæ ſunt ex æquo, dolorem obſtupeſcere putat. Sed hic ſermo mihi duntaxat ex dimidia parte uerus apparet: non enim dolor ex eo oritur, quia altera pars alteri diſsimilis eſt, ſed quia naturale, uel eius quod loco naturæ eſt, tẽperamentum ab alio ſenſibiliter mutatur: adeo ut inæqualis intẽperies, quæ altera cauſa doloris dicitur, proprie nõ ſit diuerſarũ partiũ, ſed eiuſdẽ partis diuerſa quodã modo intẽperies. eſt enim quoddã ex naturali qualitate*

& aduen

& aduentitia inter se pugnãtibus medium. nec uereri oportet, ne in eodem admittas contraria. non enim ubi ad extremum uentum est, hic duplex qualitas subsistit, sed ex duabus una oritur: quæ ex calido ac frigido concreuit, non sine alterius indignatione. Potest ergo hæc inæqualitas fortè calida per uniuersum corpus, nihilo secius quàm per unam partem consistere: quod & aliquando quidã sentire uidentur, dum aiunt nullam corporis partem sese doloris expertem habere. Durat autem hæc controuersia, donec alterũ explosum fuerit, alterum uerò quodam modo syncerum extiterit: ac tum pars, aut uniuersum corpus dolere asseritur: cessat enim actio & passio. Sed hîc fortuna duplex, aliquando uincit natura, & sanitas sequitur: interim morbus, & est præsens exitium omni propemodum natura extincta, in quo consistit omnium mortalium morborum caput. Ac caliditas si per totum grassetur, hectica dicitur. uidetur tamen & alia hectica dici, quæ in solido etiam citra æqualitatẽ consistit: quoniam difficilius qualitas eruitur ex solido quàm humido. Quòd de calida inæqualiter intemperie dicitur, idem & de frigida oportet commentari. Nam quod maius est, aliquãdo ambæ in eandem partem simul incidunt. Videntur autem nusquam magis quàm hic contraria committi. sed eadem est quæ prius excusatio. Nã si mediocris qualitas, seorsum nunc à calido, nũc à frigido

à frigido pati poteſt: nihil impedit quin eodem tempore pati poteſt ab utroq;, ac ſic quidem ab utroque inæqualitas quædam ac dolor orietur. Neque hîc tergiuerſari oportet, quoniã idẽ oſtendit ipſa experiẽtia. Nã ſi quis à calida ſimul perfundatur, & à frigida, ab utroque patitur: iã nihil refert ſiue à cauſa externa, ſiue interna hanc immutationẽ fieri cogites: ſed multum intereſt, ſi quicquid à calido patitur, ſtatim calidum, aut quicquid à frigido, mox frigidum dicas: id enim manifeſtum eſt mendacium. Ergo temperatura noſtra ab utroque pati poteſt, tametſi nullius integram uim ſuſcipiat. Ac tantum de temperatura ægrorum: quæ duplex exiſtit: altera inæqualis, in qua altera qualitas cum altera pugnat, externa cum interna: altera æqualis, in qua tantum non omnis natura exploſa eſt.

FINIS.



1565

Index.

[illegible]

